Tachau - De Enuntiatorum Finalium apud Euripidem Ratione Atque Usu, 1880

# DE ENUNTIATORUM FINALIUM APUD EURIPIDEM RATIONE ATQUE USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

LUDOVICUS TACHAU,
MINDENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXXX.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
GUIL. FR. KAESTNER.

1882. Dec. 12.

Salisbury Fund.

# Prooemium.

§. 1.

Summa hominum criticorum et grammaticorum studia usque ad nostra tempora mirum quantum excitata sunt constructionibus, quae nominantur finales. Certe etiam nunc nonnullis locis valde ambigi, utrum opt. finalis rectius se habeat an conj., utrum ἄν addendum sit modo finali, an vel contra codd. auctoritatem sit delendum, equidem maxime expertus sum, cum in Euripide legendo aliquantum temporis accurate essem versatus. Quem quidem scriptorem hac in re longe maximam inter tragicos graecos praebere materiem disceptandi atque certandi haud ita mirandum est, cum constructiones finales in deliciis habeat. — Aeschylus in fabula quae inscribitur Persae sex exhibet exempla finalia, in Soph. Antig. leguntur fere XII, apud Euripidem quamquam in Medea sedecim tantum inveni, tamen in Oreste, quam fabulam paucis annis ante mortem poëtae scriptam esse constat, numerantur triginta quatuor! Satis persuasum habeo etiam hanc causam ita posse explicari, quod antiquissimorum poëtarum magis proprium est singula enuntiata aut sine ulla sermonis copula connecti, aut unum cum altero conjungi particulis copulativis (*coordination* cf. Pers. 143); post, si oratio pedestris oratorum atque rhetorum auctoritate majorem adipiscitur vim, etiam in poësi majorem tribui operam singulis enuntiatis artificiosius subjungendis (*subordination* [1])).

1) cf. Kuehner gr. gr. II², §. 518.

— Euripidem vero, cum sophistarum tempore floreret, graviter jam inclinasse ad sermonem pedestrem et paene jam descendisse ad rhetorum artem valde expolitam cum ex hominum doct. observationibus jam evadat [1]), tum, id quod ad nos maxime spectat, Rieckius (de proprietate serm. Eur. Diss. Hal. 1877, p. 6) docet affirmans Euripidem nisi forte in choricis fere nunquam usum esse licentia illa poëtica enuntiata libere unum juxta alterum ponendi.

Itaque quoniam adhuc maxime dubitatur de modis in enunt. fin., haud inutile esse putabam, si hanc in partem proprietate sermonis Euripidei perquisita codd. optimorum auxilio nisus certum aliquo modo de dubiis locis statuere conarer judicium [2]).

§. 2.

Sed ne firmo quaestionum nostrarum careamus fundamento ante omnia breviter repetendum videtur, quomodo enuntiata finalia sint exorta. Ex ingenti vero exemplorum copia constat olim simpliciter nulla addita sermonis copula juxta verbum finitum ea posita esse, ita ut e sententiarum nexu vel e modi ipsius natura intelligi deberet, quaenam ratio interesset inter duo haec enuntiata [3]). Apud omnes fere grammaticos allata invenies exempla: Il. *Z*, 340: *ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον Ἀρήϊα τεύχεα δύω; X*, 450: *δύω μοι ἕπεσθον, ἴδωμ' ἅτιν' ἔργα τέτυκται*; *Ψ*, 71, alia; qui quidem conjunctivi, quamquam adhortativi sunt, lingua vernacula nisi particula finali utimur reddi non possunt. [Apparet igitur conj. finalem nihil aliud esse atque conj. adhortativum.] Id autem si do-

1) cf. Bernhardy paralip. synt. gr. p. 12.

2) cf. etiam Proske, de enunt. fin. apud trag. gr. Diss. Vratisl. 1861. Quae dissertatio cum majore jam commentationis parte elaborata in manus mihi incideret, tamen et quod propter nimis magnam quam sibi proposuerat materiem singula haud ita accurate perpensitare potuit vir doctus, et quod saepius etiam gravibus nonnullis in causis facere non possum, quin ab eo dissentiam, quaestiones instisutas absolvendas esse putavi.

3) cf. Franke, de part. fin. apud Graecos constr.; in diar. Darmstad. 1839, p. 1236 sqq. — Aken, lehre v. tempus u. modus im griech. 1861 §. 139, 2.

cere pergunt grammatici: postea pristinam istam proprietatem tantum servatam esse in vocabulis ἄγε, φέρε c. simpl. conj. conjunctis, (cf. Or. 1281. El. 870. Elmsley ad Bacch. 341; Matthiae gr. gr. II³, §. 516, Kuehner II, p. 185) hac in re ideo errant, quod etiam apud ipsum Euripidem exstant nonnulla exempla, ubi conj. final. vel adhort. solus nulla addita copula verbo cuidam vel enuntiato, quod praecedit, apponitur, etiam si ἄγε s. φέρε non invenitur; ut Hipp. 567: ἐπίσχετ', . . . . ἐκμάθω, nos: ich *will* hören, i. e. *damit* ich höre. cf. Elmsl. ad Med. 1242. Heracl. 559, quibus addendi sunt hi loci Euripidei: El. 962: ἐπίσχες, ἐμβάλωμεν εἰς ἄλλον λόγον; Cycl. 175: ἄκου' . . διαλαλήσωμέν τί σοι [1]). Atque huc sine dubio etiam pertinet Troad. 170 sqq.: μή νύν μοι τὰν ἐκβακχ. Κάσανδραν πέμψητ' ἔξω . ., ἐπ' ἄλγει δ' ἀλγυνθῶ. Ante ἐπ' ἄλγει δ' ἀλγ. ex consuetudine sermonis graeci satis nota cogitando repetendum est μή; μή vero non particula finalis est, sed lyrica hac in parte Euripidem imitatum esse puto morem istum antiquiorem enuntiata libere unum juxta alterum ponendi; eandem vim habet ac μή istud, quod exstat ante πέμψητε [2]). Quomodo vero ratio primitiva paulatim mutata sit in formam istam artificiosiorem optime demonstrari posse videtur iis enuntiatis, quae praebent μή c. secunda persona conjunctum; ut Alc. 250: ἔπαιρε σαυτήν, μὴ προδῷς, quod aeque bene verti posse apparet: erhebe dich, (und) verrathe nicht, ac quod nobis nunc fortasse magis placebit: erhebe dich, damit du nicht verräthst. Sensus certe commendat versionem priorem. Cf. etiam Alc. 388. Contra Alc. 1065, Andr. 692 fieri non potest, quin μή partic. esse finalem judicemus. cf. Cycl. 288. Heracl. 227.

Jam vero si sententiae finales originem duxerunt ex enuntiatis liberis, quibus postea, ut conjungerentur cum aliis enuntiatis, praefigebatur pronomen relativum, (nam omnes partic. fin. proprie fuisse pron. relativa infra luculentius docebitur) necessario sequitur modos finales minime pendere

---

1) cf. etiam Baeumlein, untersuchungen über die griech. modi. Heilbronn 1846, p. 178 sq.

2) Seidlerus totum locum haud ita recte constituisse videtur.

nec e particula finali nec ex enuntiato, quod praecedit, sed ex ipsa sua vi atque natura aeque esse explicandos ac modos enuntiatorum liberorum [1]). — Itaque ut firmam nobis in posterum muniamus viam opus esse videtur jam hic, quid proprie significent conj. atque optat. accurate statuere. Quod eo brevius absolvam, cum jam hom. dd. multa de hac re disputasse constet.

Res est notissima conj. atque opt. veritati oppositos significare id quod verum non est, i. e. id quod in mente tantum atque cogitatione nostra versatur. Conj. autem continet *exspectationem;* qui conjunctivo utitur vult exprimere se id agere, ut actio, de qua cogitat, quam in mente habet (i. e. quae fieri *potest*) re vera perficiatur (i. e. *vera* [2]) *fiat*); optativo omnino significatur aliquid quod in mente habemus nulla habita ratione, utrum perfici possit necne. Quae quidem optativi definitio jam ex antiquissimis temporibus apud omnes fere invenitur grammaticos, (errant certe, qui brevitatis causa docent opt. significare „*die möglichkeit*"), neque in conj. res aliter se habet, nisi quod alius aliis vocabulis eandem rem exprimere studet: quid primitus significet conj. Conferas quaeso quod Baeumlein l. c. p. 35 dicit conj. esse „die tendenz zur wirklichkeit"; quod Aken l. c. p. 28 docet conj. significare „die erwartung, dass das entsprechen der handlung zur wirklichkeit eintrete"; quod Delbrueck p. 13 luculenter exponit: conj. exprimere „den willen"; „wille" autem esse = „begehrung mit der voraussicht des erreichens"; vel denique definitionem, quam nuperrime protulit H. D. Mueller [3]): conj. esse „der modus der problematischen behauptung" s. brevius „der modus potentialis" [velut: dicat quispiam = es *lässt sich erwarten*, dass jemand sagt] — omnes eandem rem diversis vocabulis circumscribunt.

---

1) Franke §. 2. 3.

2) Causas accuratas expolitasque cur haec definitio sola recta sit, profert Delbrueck, der gebrauch des conj. u. opt. im skr. u. griech., cap. III, p. 12 sq. — brevius jam eandem ratiocinationis viam ingressus erat Baeumlein l. c. p. 35.

3) Der indogerman. sprachbau in seiner entwicklung. Goett. 1879. p. 3.

Neque Hermannus [1]) abhorret ab hac explicatione dicens: „in conj. sumitur res experientia comprobanda", quod postea ita circumscribit (p. 77 extr.): „conj. est debere quid fieri intellegentis ac propterea *exspectantis*, quid eveniat". — Graviter vero erravit et Matthiae [2]) (conj. = „subjective nothwendigkeit") et Kuehner (optat. = „conjunctiv der historischen zeitformen"), quibus adnumerandus est Franke, qui ut optime explicavit optativum, ita peccavit in conj., dicens (§. 3) conj. exprimere, id quod fieri posset i. e. quod si res ita tulerint, fiet (possibilitatem objectivam s. realem [3]).

Videmus igitur rectam conjunctivi explicationem originem ducere e conj. adhortativo. Conj. autem adhortativum cum supra demonstraverimus eundem esse ac conj. finalem, consequens est: si conj. fin. utimur nos exprimere certam nostram exspectationem fore ut consilium quod habemus vel finem quem petimus re vera adipiscamur; spem igitur habemus perficiendi, i. e. conj. fin. exprimit *exspectationem eventus.* — Ergo quod Hermann dicit ad Iph. T. 1183: „conj. fin. haec vis est, ut simpliciter *eventum*, quem consecuturum esse consentaneum sit, indicet", recte quidem in universum est, tamen ne erremus melius scribatur: „*exspectationem eventus*". — Optativum vero in en. fin. propriam suam vim optime retinere jam ea res docet, quod est optat. orationis obliquae. (cf. Aken. l. c. §. 140).

His ita disputatis videor effecisse, ut vera in universum enuntiatorum fin. effigies animo concipi possit. Quo fundamento accurate si utimur singulari sermonis Euripidei proprietate perspecta locos dubios ambiguosque, quamquam res saepe subtilissima est maximamque partem locum dat am-

1) De partic. ἄν. p. 77 sq.

2) Gr. II, p. 1143. = Kuehner II, p. 165.

3) Omnino autem quod attinet ad definitiones istas, quae saepius inveniuntur: »objective (conj.) et subject. (optat.) möglichkeit«, equidem suaserim eas, quod nimis breves nimisque obscurae sunt, esse vitandas. Si recte intellexi has definitiones satis subtiliter circumscribere studet Baeuml. p. 43: »im conj. liegt eine bewegung, ein ausgehen vom subjectiven zum objectiven, sofern in ihm überhaupt eine (subjective) tendenz etwas zu verwirklichen liegt«.

bigendi, tamen componi posse speramus. — Totam autem materiem, id quod simplicissimum videtur, ita distributuri sumus, ut primum agamus de iis locis, ubi conj. solus exstat, deinde de solo optativo, tum de conj. et opt. cum ἄν conjunctis, postremo quomodo indicativus locum habeat in enunt. fin. quaeramus. Pauca de infinitivo atque participio fin. addentur. — Moneam ea tantum enuntiata fin. tractari, quae introducuntur per particulas quae sunt ἵνα, ὡς, ὅπως, μή; sententias relativas sensum finalem praebentes omnino non tangam.

---

## Caput I.

## De conjunctivo solo.

Ex iis quae supra probavimus in sententiis finalibus modos propriam vim retinere neque omnino aptos esse nec e particula nec ex enuntiati primarii tempore vel forma satis apparet regulam illam tritissimam, quae Dawesii nomine fertur, tolerari omnino non posse. Excogitavit enim Dawesius legem grammaticam, quam quidem initio plerique hom. dd. suffragio suo confirmaverunt: post tempus praesens ponendum esse conj., post praeteritum optat. Sane! videtur probari haec regula constanti fere usu singulorum scriptorum; attamen conjunctivum exstare non quod praecederet tempus primarium, sed quod necessario toto rerum nexu postularetur dudum jam monuerunt homines grammatici. Quid enim? si dico me aliquid suscipere aut esse suscepturum, nonne consilium meum tale erit animusque meus eo erit intentus, ut res vere perficiatur? nonne re vera exspectabo eventum actionis? Certe si non exspectarem supervacaneum omnino esset actionem suscipere. Cur igitur cum conj. finalem exspectationem eventus significare sciamus miremur conj. fere semper poni post temp. praes. aut futurum, quod antecedit? — At si in rebus praeteritis narrandis commemoro aliquod consilium, id consilium, quod actio ipsa praeteriit, non jam potest conjunctum esse cum exspectatione eventus; potius cum omnia praeterito jam tempore facta sint, indicari tantum

potest, quod isto tempore *cogitabam*, non quod exspectabam; ergo post tempus praeter. recte se habebit optat., modus cogitationis [1]). — Cum vero nihil obstet, quin si sententiarum ratio rerumque enarratarum nexus postulat conj. sequatur etiam tempus praeter., optat. excipiat temp. praesens, Hermannus rectissime ad Soph. El. 37 satis graviter atque severe monuit regulam illam Dawesianam esse rejiciendam. Neque haud ita raro inveniri conj. post tempora secundaria statim probabimus, si enumeraverimus locos Euripideos, ubi exstat conj. post temp. primaria.

## §. 1.
## *De conjunctivo post tempora primaria.*

### I. Post particulas ὡς et ὡς μή.

Particula quae est ὡς raro invenitur in or. pedestri, apud tragicos omnium particularum finalium usitatissima est. Proprie adverbium est comparationis = „ut“ [2]); sed cum etiam locum habeat in enuntiationibus interrogationis obliquae = „quomodo, qua ratione“, facile adepta est notionem particulae finalis, quandoquidem si quis consilium aliquod perficere vult, simul cogitare debet, *quomodo* atque qua via possit id adipisci. — Etiam ex Eur. duo afferri possunt loci, ubi, quomodo ex notione interrogativa facta sit finalis, bene potest cognosci: Iph. T. 467: ὡς καλῶς ἔχῃ, φροντιστέον μοι, et Hel. 997: οὕτω δὲ κρῖνον, ὡς ἅπασιν ἁνδάνῃς. Ceteri vero loci, ubi ὡς conj. secum habet post temp. primarium sunt hi:

a) Verbum, e quo pendeat ὡς, supplendum est, praesertim in locutionibus quae sunt: ὡς μάθῃς, ὡς μάθητε, ὡς εἰδῇς, quas in seriem verborum interponere Eur. in deliciis habet. (Sophocles multo rarius iis utitur, cf. El. 673). Ple-

---

1) cf. Franke §. 4. Hermann, de part. ἄν, p. 143. — cf. etiam Naegelsbach, de vera modorum origine, Erlang. 1843, p. 8 sqq. qui aliam viam ingressus pereleganti sermone atque eximia doctrina eandem rem probavit.

2) Particulae ὡς usum Euripideum fusius exposuit Barthold, progr. Posen. 1869.

rumque addi potest verbum λέγω; cf. Andr. 1073: οὐκ ἔστι σοι παῖς παιδὸς, ὡς μάθῃς, γέρον. — Or. 734. Troad. 441. 719. 912. Iph. T. 1361. Jon. 35. Hel. 977. Phoen. 1077, 1656, 1681. fr. 334, 2.

b) Praecedit indicativus praes. cf. Hec.[1]) 508, 959. Suppl. 235. 451. 553. Herc. f. 40. El. 58. 72. 894. Tr. 20. Iph. T. 290. 1177. Jon 1112. 1180. 1562. Hel. 1435. Or. 265. 446. Bacch. 1240 (ubi probo Hermanni conjecturam ἀγκρεμασθῇ cf. infra). Alc. 74. Cycl. 34. 131. Fr. 362, 15. — Accedit Tr. 58: πρὸς σὴν ἀφῖγμαι δύναμιν, ὡς κοινὴν λάβω. Andr. 424 (χρῆν sensum praebet praesentis, cf. fr. 284, 23. 342, 5. 452, 1).

c) Post imperativum praesentis v. aoristi: Med. 1315. Hipp. 296. 1265. Hec. 174. 1021. 1130. Suppl. 360. Herc. f. 946. 1255. El. 758. 792. Tr. 296. 453. 508. 1268. Jon. 728. Hel. 867. 1440. Phoen. 780. 1449. Or. 630. 1350. Iph. A. 1340. Bacch. 61. 1322. Alc. 720. Cycl. 652. fr. 353, 1. — Hipp. 809 (qui vs. male repetitus est in vs. 825). Hec. 536. 550. 611. 896. 1217. Andr. 1241. Suppl. 578. 815: δόθ' . . ὡς θῶμαι, alias verbum δίδωμι apud Eur. semper invenitur cum simpl. infin. (cf. Med. 1070. 1402. Herc. fur. 600. Jon 24. 272. 1285. Hec. 410. 540. Iph. A. 471. 1575 alias). Herc. f. 331. 1406. El. 250. Tr. 635. 1276. Iph. T. 1030. 1216. Jon 1569. Hel. 146. 333. Phoen. 1088. 1693, Or. 797. Iph. A. 1533. Bacch. 1108. 1203. 1214. Cycl. 152. 619. fr. 364, 32.

d) Post participium praes. s. aoristi: Suppl. 38. El. 100. Iph. T. 1223. Jon. 79. — Or. 801.

e) Post futurum: Med. 781—3. Hec. 47. Tr. 1155. Iph. T. 1429. Jon. 72. 388. Cycl. 342. — Post εἶμι: El. 1132. H. F. 731. Huc etiam pertinent loci Hec. 89 et Bacch. 1258. — In Hec. 89 sic legitur:

ποῦ ποτε θείαν Ἑλένου ψυχὰν . . . ἐσίδω,
ὡς μοι κρίνωσιν ὀνείρους;

conj. igitur finalis sequitur conj. dubitativum. Quod quidem

---

1) Fabulas enumerabo secundum ordinem, quem constituit Zirndorfer; versuum numeri sunt Nauckiani.

exemplum optime demonstrat modos finales nullo modo respicere enuntiatum vel tempus quod praecedit, sed ex ipsorum natura esse explicandos. Nam exstant etiam exempla, ubi optativus invenitur post conj. dubitat. (cf. infra cap. 2, III, p. 38 sq.); hoc vero loco conj. fin. optime se habet, quod fidenter exspectat Hecuba, dummodo visura sit liberos, eos etiam interpretaturos esse somnia. Nos ad sensum fere: „wo werde ich nur meine kinder finden? sie *sollen* mir dann meine träume deuten". — Res eadem est in Bacch. 1258:

. . . τίς αὐτὸν δεῦρ' ἂν ὄψιν εἰς ἐμὴν
καλέσειεν, ὡς ἴδῃ με τὴν εὐδαίμονα;

ubi opt. c. ἂν qui nominatur potentialis sensum praebet futuri. — Restat Iph. Aul. 541: ὡς πράσσω κακῶς pendet ex altero, quod praecedit enuntiato finali.

ὡς μή conj. secum habet post temp. primarium:

a) in sententiis istis brevibus interjectis, de quibus supra dixi. Hec. 1177. Hel. 1017. Jon. 1420 (ubi adde ἱστορῶ).

b) Post indic. praes.: Hipp. 420. Andr. 413. Herc. f. 1219. El. 961. Hel. 885. 1271. Cycl. 546. 627. Addendum est Hel. 67.

c) Post imperativum praes. s. aor.: Herc. f. 323. 1244. Jon 177. Or. 799. — Iph. T. 469.

d) Post part. praes.: Med. 461.

e) Post futurum: Med. 1380. Or. 1596 (adde πορθήσω).

## II. Post particulas ὅπως et ὅπως μή.

Proprie ὅπως particula est interrogativa locumque habet in enuntiatis interrogationis obl. post verba, quae indicant voluntatem indefinitam, (βουλεύω) vel scientiae incertitudinem (οὐκ οἶδα). Itaque propriam eandem habet significationem atque ὡς = „ut" s. „quomodo", atque ab Euripide plane eodem modo usurpatur. cf. Tr. 445: ὅπως τάχιστα; Jon. 1451 ἐμοὶ γενέσθαι πάντα μᾶλλον ἄν ποτε, μῆτερ, παρέστη τῶνδ', ὅπως σός εἰμ' ἐγώ, ubi ὅπως positum est pro ὅτι, explicat vocabulum quod praecedit τῶνδε; cf. El. 1050 post verbum dicendi pro ὅτι. Herc. f. 1401 vim habet comparativam =

„ut", quod rarius fit [1]): παίδων στερηθεὶς παῖδ' ὅπως ἔχω σ' ἐμόν. Simili modo exstat Phoen. 1380: Κάπροι δ' ὅπως θήγοντες γένυν. cf. etiam Hec. 398. Tr. 147 (Seidler). fr. 961. — Etiam particulam finalem ὅπως plane aeque tractatam esse ab Euripide atque ὡς discimus e Suppl. 234, ubi alterum enuntiatum introducitur per ὅπως, alterum per ὡς, sine ullo discrimine. — Quomodo vero ὅπως e partic. interrogativa facta sit finalis, optime docet locus Euripideus, ubi legitur post δέδοικα, Iph. T. 995: τὴν θεὸν δ' ὅπως λάθω δέδοικα. Sensum praebet eundem, ac si μὴ οὐ λάθω exstaret i. e. finalem, = vereor, ne non possim occultari. cf. Lat. timeo, ut. Accurate autem si vertere volumus, notio particulae interrogativa praeferenda est: „timoris plena sum, quomodo, qua ratione possim occultari". Timor enim atque sollicitudo cum animum premant atque voluntatem nostram reddant infirmam incertamque, verba timendi ut verba sollicitandi atque dubitandi saepissime conjunguntur cum ὅπως et ὅπως μή [2]). —

Ceteri loci Euripidei hi sunt:

a) ὅπως post praesens: Hec. 232. Suppl. 234. Phoen. 1319. Iph. Aul. 428 (in vs. 881 retineo optat., quem codd. praebent cf. cap. II, p. 41). — Phoen. 383 pendet conj. ex altero qui praecedit conjunctivo: ὅπως δ' ἔρωμαι, μή τι σὴν δάκω φρένα, δέδοιχ' ἃ χρῄζω, ubi construas: δέδοιχ', ὅπως ἔρωμαι ἃ χρῄζω, μὴ etc. „quomodo ea interrogem, quae cupio, verendum mihi est, ne tuum animum offendam".

b) post imperat. praes. s. aor.: Iph. T. 1461. Or. 1585. ὅπως μή: Hipp. 518: δέδοιχ' ὅπως μοι μὴ λίαν φανῇς σοφή. (Monkius sine idonea causa mutavit in φανεῖ, conj. nihil praebet offensionis). Or. 1355.

### III. Post particulas ἵνα et ἵνα μή.

Particula quae est ἵνα in or. pedestri longe usitatissima est; apud Hom. ἵνα nunquam, apud lyricos fere nunquam,

---

1) Non intelligo quid voluerit Proske l. c. p. 6, qui inter exempla finalia enumerat hunc locum. Similem commisit errorem in Hec. 398. (cf. l. c. p. 23 extr.).

2) cf. Matthiae gr. gr, §. 520, not. 1. Kuehner II, p. 1043.

apud tragicos haud ita saepe usurpatur, cum praevaleat ὡς, ἵνα proprie, quod a stirpe pronominali derivatum est, (ut omittam omnino vim demonstrativam, quam omnibus relativis initio fuisse constat)[1]), significat „ubi“; atque quamquam apud sermonis pedestris scriptores multo rarius hanc vim relativam habet, apud Euripidem tamen plus quinquaginta evolvi locos, in quibus ad regionem significandam eo usus est poëta[2]). Qua ex significatione relativa finalem facillime posse exoriri Franke (§. 2) luculenter exposuit. — ἵνα vero ita differt ab ὡς et ὅπως, ut omnium partic. finalium longe gravissima sit atque validissima; „ἵνα zeigt eine absicht an, deren erreichung man sich in jedem falle als wirklich, gewiss oder nothwendig denkt“. [Matthiae p. 1192 extr.]. Atque ea etiam de causa manifestum esse puto, cur ἵνα potissimum cum conj., multo rarius cum opt. construatur, nunquam secum habeat futurum[3]) vel conj. c. ἄν.

Exstat autem ἵνα post tempus primarium his locis:

a) in sententiis intercalatis (de quibus p. 9); Hec. 1243. Herc. f. 561. Tr. 1029, 1265. Iph. T. 779. Jon 804. Hel. 1202. Or. 1400. Iph. A. 1148. Cycl. 676.

b) post indic. praes.: Andr. 199 (adde ἀποθῶ ex 193). Suppl. 178. Herc. f. 328. Hel. 65. 882. Or. 1165. Iph. A. 879. 1168. — Accedit Iph. Aul. 1107: ἐν καλῷ σ' ἔξω δόμων ηὕρηχ', ἵν' εἴπω; perfectum ηὕρηκα sensum praebet praesentis: „nunc ipsum te inveni extra domum i. e. nunc occurro tibi“.

---

1) Franke §. 2. Delbrueck l. c. p. 31.

2) Etiam Jon. 1026: αὐτοῦ νυν αὐτὸν κτεῖν', ἵν' ἀρνήσει φόνους localem vim habet ἵνα = „ubi“ propter vocabulum quod praecedit αὐτοῦ. Melius igitur cum Nauckio scribemus ἀρνήσει pro ἀρνήσῃ quod habent codd. et edd. ceterae, ne fortasse ἀρνήσῃ habeatur pro conj. aor. — Eadem de causa, ut vitetur ambiguitas, praefero Iph. Aul. 667 scripturam Nauckianam: ἵνα μνήσει.

3) Non enim recte Brunck ad Bacch. 1383: „ἄγετ' ὦ πομποί με, κασιγνήτας ἵνα συμφυγάδας λήψόμεθ' οἰκτράς“ adnotat.: „cum fut. ind. ἵνα perinde ac ὅπως construitur“, quem correxit Elmsleyus: „ἄγετέ με ἐκεῖσε, ὅπου (= ἵνα) ληψ.“ etc. Et ne in Homero quidem, id quod olim creditum est, exstare ἵνα c. ind. fut. invenias apud Seilerum in lex. Homer. p. 250.

c) post imperativ. praes. s. aor.: Andr. 589. Herc. f. 245. Jon 1266. 1602 (codd. *εἴης*, Wakefield et Porson *ἴῃς*, quod probandum est, cum antecedat jam conj. fin. *ἔχῃ* neque causa idonea possit inveniri, cur mutetur modus). Hel. 995. Or. 1628. Iph. Aul. 118. 1009. Bacch. 335. Cycl. 94. 346. — Hec. 1125. Andr. 843. El. 141. 292. 989. Tr. 1041. Iph. T. 547. Hel. 870. 1416. Or. 1443. Iph. Aul. 320. 1239. Fr. 595 (ubi intercidit verbum regens).

d) post futurum: Hipp. 729. Hel. 984: *κτανεῖν δέδοκται τήνδ' ἐμοί, ἵν' αἵματος ῥοαὶ τάφου καταστάζωσι* = „constitui eam interficere" sensum praebet futuri. — Elmsley etiam in Iph. Aul. 1193 scribi voluit *ἵνα: τίς δὲ καὶ προσβλέψεται παίδων σ', ἵν' αὐτῶν προέμενος κτάνῃς τινά*; codd. scriptura: *ἐὰν αὐτῶν* peccat contra leges metricas. Sed praeferam conjecturam Hartungii, quam etiam Nauckius recepit: *ἐὰν σφῶν*, quippe quae multo meliorem praebeat sensum, quam *ἵνα*. — Post conj. dubitat. s. deliberativum invenitur in Andr. 850: *ποῦ δ' εἰς πέτρας ἀερθῶ* etc., *ἵνα θανοῦσα νερτέροισιν μέλω*.

*ἵνα μή* post imp.: Andr. 433; post fut.: Jon 950. 1381; in sententia intercalata Tr. 1177.

## IV. Post particulam *μή*.

*Μή* particula proprie nihil aliud significat nisi solam negationem [1]; sed cum prohibendi ei vis insit, finali etiam sensu usurpatur = „ne". Atque his enuntiatis clarissime patet, id quod in prooemio jam monui, non per particulam *μή* sententiam fieri finalem, sed id intelligendum esse ex ipsorum enuntiatorum natura. Nam quamquam saepissime *ὡς*, *ὅπως*, *ἵνα* addi vidimus particulae *μή*, tamen si fieri potest, ut ex sententiae primariae forma vel alia notione intellegatur nexum esse finalem, *μή* etiam solum sufficere ad introducendum enuntiatum finale satis constat. — In tragicis vero cum maxime post verba timendi atque sollicitandi *μή* reperiatur, quaestio oritur, utrum omnino prohibitivam his in enuntiatis habeat vim *an interrogativam*. Neque dubitandum videtur secundum ea, quae fusius exposuerunt Baeumlein p. 195 sqq.

1) cf. quae nuperrime iterum disputavit H. D. Mueller l. c. p. 14 sqq.

et Aken p. 115 sqq., quin μή post talia verba perinde se habeat atque in enuntiatis finalibus. Kuehnero vero non assentiendum est, qui iterum in nova grammaticae editione (p. 1037 sq.) μή servire interrogationi docere studet. Nos quidem germanice notioni timendi simpliciter addimus id quod timori nobis est atque sollicitudini (das object des fürchtens; ich fürchte dies, vel dass dies geschieht); graeca vero in lingua res, de qua metuimus, aliquid esse cogitatur, quod ne fiat *prohibeatur*[1]). Atque si meminerimus primo utrumque enuntiatum per se stetisse, atque ταρβῶ μὴ τοῦτο γένηται solvendum esse „versor in timore, — id ne fiat" = „ich bin in angst, — dies soll nicht geschehen", sine dubio concedendum est jure meritoque si de μή finali agitur etiam locos esse notandos, ubi μή exstat post verba timendi. Quod primum faciamus.

a) *Μή* post **δέδοικα, φοβοῦμαι,** alias timendi notiones: Med. 37. 40. 283. 306. 317. Hipp. 418. 520 (aut pendere potest e δειμαίνειν ex vs. qui praecedit, aut per se sumi μὴ μηνύσῃς = ne prodeas, noli prodire). 924 (nonnulli codd. optat.). Andr. 48. 185. 808. 1057. Suppl. 90. 544 sqq. Herc. f. 13 sqq. (adde φοβοῦμαι ante μή). El. 260. 568. Iph. T. 731. 843. Jon 686, ubi codd.:

οὐ γάρ με σαίνει θέσφατα μή τιν' ἔχῃ δόλον. Construas igitur: οὐ γάρ με σαίνει θέσφ., (ἀλλὰ φοβοῦμαι), μή τιν' ἔχῃ δόλ., nisi forte corruptam esse judices codd. lectionem. Fortasse scribendum est: σὰ γὰρ δέδοικα θέσφατα, μή etc.; tum metra strophae et antistr. melius inter se congruunt et sententia exstat dilucidior. Librarius fortasse non intellexit vocabulum quod est σά, quod referendum est ad sacerdotem, quam jam in vs. 681 allocutus est chorus. Neque mirandum est σὰ θέσφατα, quod subjectum est enuntiati finalis, jam exstare apud δέδοικα, nam id saepius fit. cf. Med. 34: δέδοικα δ' αὐτήν, μή τι βουλεύσῃ νέον. — Hel. 1395. Phoen. 155. 263. 383. 1594. Or. 770. 791. 1255. 1519. Alc. 1058. Rhes. 864: δέδοικα δ' αὐτὸν . . , μὴ καὶ Δόλωνα κατακτάνῃ; (Matthiae

---

1) Accuratius egerunt de hac re Aken p. 115 sqq. Baeuml. p. 195 sqq. Matthiae p. 1189.

κατέκτανεν; causam non video; conj. aor. habet vim perfecti.) Fr. 462, 4. 575, 8. 608. 628, 5. — cf. etiam Med. 118. Andr. 145. Iph. Aul. 1536.

b) post ὅρα, σκόπει, sim. in quibus sensus cavendi inest. Enunciatum quod sequitur particulam μή objectum est ad ὅρα v. σκόπει, quae quidem verba, quod sola sensum non praebent semper secum habent μή c. conj. Andr. 755 quidem: σκόπει τάδε, μὴ νῦν φυγόντες εἶθ' ἁλῶμεν ὕστερον, objectum jam appositum est τάδε, quod secundum nexum sentent. equidem optime referendum esse puto ad ea quae antecedunt; haec fere supplenda sunt: σκόπει τάδε sc. μὴ . . οἶδε πρὸς βίαν ἄγωσι με etc., μὴ νῦν φυγ. εἶθ' etc.; itaque enuntiatum quod sequitur μή νῦν φυγόντες cet. non ut plerumque fit objectum est ad σκόπει, sed re vera enunt. fin. Differt ab hoc loco Iph. Aul. 1372: ἀλλὰ καί σὲ τοῦθ' ὁρᾶν χρή, μὴ διαβληθῇ στρατῷ, ubi τοῦτο demonstrat ad enuntiatum quod sequitur cum μή; nihil desideraremus, si deesset omnino τοῦτο. — Legitur vero ὅρα et σκόπει c. μή his locis Euripideis: Hipp. 100 (εὐλαβοῦ). Andr. 752. H. f. 594. El. 1140 (φρούρει). J. T. 67. Jon 1523. Or. 776 (adde ὅρα). Alc. 1127. Rhes. 570. Fr. 781, 48.

c) Praeterea μή invenitur c. conj.:

α) in enuntiatis istis intercalatis (p. 9): Med. 307. Fr. 969, et Fr. 890, 5 qui locus sic legitur in codd.:

„τεκμήριον δέ, μὴ λόγῳ μόνον μάθῃς,
ἔργῳ δὲ δείξω τὸ σθένος, τὸ τῆς θεοῦ“.

Cum sensum non praebeat lectio codd. sic fere sanandum esse locum judicem:

„τεκμηρίῳ δέ, μὴ λόγῳ μόνον μάθῃς,
ἔργῳ τε δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς θεοῦ“.

ἔργῳ καὶ τεκμηρίῳ = aus thatsächlichen anzeichen.

β) Post indicat. praes.: Hec. 277, post ἱκετεύω; cf. etiam Heracl. 226 sq. Cycl. 287 sq., alias semper apud Euripidem verbum ἱκετεύω constructum inveni cum simpl. inf., cf. Med. 942. 971. Alc. 164. Heracl. 829 saepius[1]); si construitur cum

1) Huc non pertinet Med. 853 sq. ubi μὴ φονεύσῃς imperativus negativus est, perinde ac Suppl. 283, ubi ἱκετεύω, ut magis valeat, postpositum est. cf. etiam Alc. 308.

μή c. conj. preces majore cum vi pronuntiantur. — Suppl. 302. Herc. f. 42. 47. El. 902. Iph. T. 1218. Phoen. 266. Iph. A. 1098. 1218. Alc. 22. Rhes. 292. frgm. 960.

γ) post imperat. praes. v. aoristi: Andr. 877. Herc. f. 86 (cf. Matthiae ad h. l.). Tr. 304. 342. 891. Iph. T. 108. 1229. Jon 395. 1551. Phoen. 837. Or. 1037. Iph. A. 602. Bacch. 823 (supplendum est τοῦτο ποιεῖ). Alc. 1065. Cycl. 661. — Andr. 692. 990. Herc. f. 1388. Tr. 906. fr. 781, 46.

δ) post particip. praes.: Hec. 344. Heracl. 28. Iph. A. 145.

ε) post futurum: Heracl. 338. Suppl. 846. Iph. A. 1028 (ubi Markland φυλάξομεν scripsit pro φυλάσσομεν).

§. 2.

*Conjunctivus post tempora secundaria.*

Causam justam non exstare, cur conjunctivo finali post tempp. secund. fidem derogemus, supra jam probavi. Tamen nos primo obtutu haerere tali in constructione haud negandum est. Quid enim? si in re aliqua narranda commemoro consilium, quod in agendo habebam, nonne sicut actio dudum praeteriit eventumque suum jam habuit, etiam consilium istud tantum versabitur in cogitatione mea? Quomodo igitur conj. locum potest habere, quo jam *exspectari* eventum significatur? — Quae quidem res, quippe quod alii aliter de ea disputaverunt, accuratius nobis est perquirenda.

I. Satis apparet per rerum nescio quam cohaerentiam nonnunquam bene effici posse, ut vel actionis dudum praeteritae eo ipso tempore, quo loquimur, eventum exspectemus. Actio praeteriit illa quidem, in mente tantum atque cogitatione nostra inest, sed finem, quem in agendo adipisci volebamus, nondum impetravimus, cur igitur cum actionis consequens etiam nunc nobis exspectandum sit, conj. reiciamus? Atque tales loci, cum res simplicissima sit, fere nunquam in discrimen vocati sunt. Assentiamur igitur iis grammaticis, qui conj. final. bene se habere docent post tempora sec., *si consilium, quod olim susceptum fuisset, duraret etiam tempore*

*loquendi*[1]). Conferas quaeso (ne retractem tritissimum illum locum Il. *E*, 127) *A*, 444:

. . πρό μ' ἔπεμψεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
παῖδά τε σοὶ ἄγεμεν, Φοίβῳ δ' ἱερὴν ἑκατόμβην
ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν, ὄφρ' ἱλασόμεσθα ἄνακτα,

adhuc durat actio sacrificandi itaque ne consilium quidem mittendi, de quo sermo est, perfectum est. cf. Il. *Y*, 126. Od. ζ, 172 sq.[2]). Herod. VII, 8: συνέλεξα ὑμέας, ἵνα τὸ νοέω πρήσσειν ὑπερθέωμαι ὑμῖν; dum haec verba loquitur Xerxes, nondum exposuit voluntatem suam. — Rem plane eandem esse apparet, si non tantum tempore loquendi, sed etiam *per totum futurum tempus* exspectandus est eventus consilii. cf. Ar. av. 72: γενέσθαι μ' ηὔξατο ὄρνιν, ἵν' ἀκόλουθον διακονόν τ' ἔχῃ = ut nunc et per totum futurum tempus habeat. Il. *I*, 494: ἀλλὰ σὲ παῖδα ποιεύμην, ἵνα μοί ποτ' ἀεικέα λοιγὸν ἀμύνῃς.

Atque ut statim exempla Euripidea apponam, quae huc spectant, — praemisso loco Hipp. 629: ὁ πατὴρ ἀπῴκισ', ὡς ἀπαλλαχθῇ κακοῦ, ubi invenitur aoristus qui dicitur gnomicus praesentis vice fungens — conj. constanti usu sic invenitur post

a) *verba quae sunt* ἦλθον, ἀφικόμην, sim. Haec enim vocabula plerumque talem adepta sunt significationem, ut motum a loco aliquo in alium locum esse perfectum indicent; idem igitur fere sunt ac ἥκω viceque funguntur perfecti[3]). (cf. Ar. ran. 1416). cf. El. 168: ἤλυθον ποτὶ σὰν ἀγρότειραν αὐλάν, = veni, adsum; ποτὶ σὰν αὐλάν recte apponitur, quod Graeci per ἤλυθον totum itineris spatium respiciunt inde ab initio proficiscendi usque ad Electrae domum[4]). Simili modo

---

1) cf. Franke §. 11. Matthiae §. 518. Kuehner II, p. 896b. Herm. ad Phoen. 70.

2) Exempla Homerica invenies apud la Roche, homer. untersuch. p. 292.

3) cf. etiam Proske l. c. p. 10.

4) Talia verba ubicunque apud trag. a *choro* proferrentur nunquam exprimere motum ipsum = „moveor, eo, profisciscor", sed finem itineris semper significare = „veni, adsum" docet Myriantheus, die marschlieder des gr. dramas. Münch. 1873, p. 129, 5 extr. — In dia-

Cycl. 95: πόθεν πάρεισι Σικελὸν Αἰτναῖον πάγον; Bacch. 5; Weckl. ad Bacch. 307. — Jam vero quod facile fieri potest, ut, etiamsi iter perfectum est finemque assecuti sumus proficiscendi, eventum exspectemus ejus consilii quod antea cepimus conj. post haec verba secundum innatam suam vim optime potest probari. Neque neglegendum videtur fere ubique haec verba perfecti vim habere. — cf. Hipp. 1299:

ἀλλ' εἰς τόδ' ἦλθον, παιδὸς ἐκδεῖξαι φρένα
τοῦ σοῦ δικαίαν, ὡς ὑπ' εὐκλείας θάνῃ.

Venerat dea eo intenta, ut Hippolytus honestam obiret mortem, quod consilium etiam durat, cum adest in domo Thesei; nam Hippol. nondum mortuus est. (cf. Monk ad h. l.). — Rhes. 51:

ἦλυθον ἄγγελος, ὡς
μήποτέ τιν' ἐς ἐμὲ μέμψιν εἴπῃς.

Si optativus exstaret εἴποις nuntius causam tantum proferret qua commotus esset ad eundum: quod μέμψιν Ἕκτορος metuisset; nos: ich kam, um dem tadel deinerseits zu entgehen. Conjunctivo *majore cum vi* indicat se etiam nunc sperare fore, ut Hector vituperatione abstineat: ich kam, auf dass du mich nicht tadelst; du *sollst* mich nicht tadeln. Med. 215: ἐξῆλθον δόμων, μή μοί τι μέμψησθε *multo fortius* dictum est, quam optat.: „exii e domo, ne me vituperetis atque etiam nunc, cum adsum atque verba facio, spero vos me non vituperaturas esse“. Optat. vertendus esset: „causa cur reliquerim domum haec fuit; ne me vituperaretis“. —

cf. etiam Med. 1304. Suppl. 174. El. 96. Phoen. 362.

b) Ceteri loci, ubi hic conj. sequitur aoristum vice perfecti fungentem, hi sunt: Hel. 56 sq.:

. . θεοῦ τόδ' εἰσήκουσ' ἔπος
Ἑρμοῦ τὸ κλεινόν μ' ἔτι κατοικήσειν πέδον
Σπάρτης σὺν ἀνδρί, γνόντος ὡς ἐς Ἴλιον
οὐκ ἦλθον, ἵνα μὴ λέκτρ' ὑποστρώσω τινί.

= ne *aliquando* viro nubam. Conj. bene se habet, quod etiam eo tempore, quo loquitur Helena, quod Menelaus nondum rediit, fieri potest ut alii viro nubat. — Suppl. 201:

---

logorum vero partibus saepe servari propriam significationem videas ex H. F. 1276. Tr. 976.

αἰνῶ δ' ὅς ἡμῖν βίοτον . . . διεσταθμήσατο
δοὺς σταγόνας ὑδρηλάς, ὡς τὰ γ' ἐκ γαίας τρέφῃ cett.

De dei benificio sermo est, quod omnino ad totum futurum tempus spectat. — cf. H. F. 1348. Suppl. 121. Bacch. 807. — Restant duo loci, ubi aoristus fere praesentis vim habet, Bacch. 475:

εὖ τοῦτ' ἐκιβδήλευσας, ἵν' ἀκοῦσαι θέλω,

= nunc eximie id mentitus es = das hast du *da eben* schön zurechtgelogen. — Hel. 634:

περὶ δὲ γυῖα χέρας ἔβαλον, ἡδονάν
ὡς λάβω, ὦ πόσις, i. e. te amplector.

His ita disputatis videor effecisse, ut tantum absit ut miremur conj. inveniri his locis, ut maxime alium modum, nisi mutetur sensus, omnino tolerari non posse judicemus. — Monendum vero est hanc explicationem non quadrare ad omnia exempla, ubi invenitur conj. post temp. praeter. Quadrat sine dubio si *loquimur* de rebus praeteritis ratione aliqua etiam habita rerum praesentium, quae fiunt tempore loquendi, i. e. in oratione, diverbio, colloquio, sim., — id quod cadit in omnes quos supra enumeravi locos. Quid vero si

II. conj. fin. exstat in *mera rerum praeteritarum narratione?* Audiamus primum homines grammaticos. Docent plerique conj. post temp. sec. „*repraesentare*" i. e scriptorem tanta alacritate verba facere de rebus praeteritis, ut quasi praesentes eas narraret [1]). Tum quidem, quod consilium nondum expletum cogitandum esset, conj. optime se haberet. Contra quod jam jure meritoque disputat Franke l. c. §. 13, praesertim cum hac explicandi ratione saepissime abusi sint hom. dd. Talis „repraesentatio" in descriptionibus poëticis alacribus atque vividis, inprimis apud epicos, tragicos bene statui potest (ut Euripides saepius miro quodam modo utitur praesenti historico verbi τίκτειν, cf. Bacch. 2), atque ex Euripide ipso infra duo afferam exempla, quae ita explicanda sunt, sed apud historiarum auctores, ut apud Thucy-

---

1) cf. Kuehner II, 897c. Klotz ad Devar. II, 618 eosque quos affert Franke l. c. §. 13, 6, nota. Etiam Baeuml. p. 270: der erzaehler vertauscht seinen eigenen standpunct mit dem der vergangenheit.

didem, si hac explicatione ubique uti volumus, perversissima erit, nec nisi difficilem atque contortam explicandi rationem usurpare volumus, statui omnino poterit. — Evolvas quaeso Thuc. I, 65: **Ἀριστεὺς δ' ἀποτειχισθείσης αὐτῆς . . . ξυνεβούλευε μὲν . . . πλεῦσαι, ὅπως ἐπὶ πλέον ὁ σῖτος ἀντίσχῃ;** num re vera putas Thucydidem, dum rem totam simpliciter qualis fuerit enarrat, repente causa idonea non indicata cogitando quasi redire in tempus istud, quo Aristeus consilium commendabat, tum statim relabi in tempus, quo etiam antea narrationem conscripserit? Persuaderent mihi fortasse interprr., si pergeret Thuc.: **καὶ αὐτὸς ἐθέλει τῶν μενόντων εἶναι** pro **ἤθελε.** — Videamus igitur, quid de talibus exemplis, quae certe saepius leguntur, sit judicandum. —

Satis constat, si narratur consilium quod aliquando quis habuit, id consilium, cum diu praeterierit, tantum versari in mente atque cogitatione; proprie igitur ponendus est optat., modus cogitationis. Fieri illud quidem potest, ut is, qui consilium aliquod cepit, si ipse loquatur de actione consilioque suo olim suscepto, significet actionem eventum nondum habuisse, sed exspectari adhuc eventum i. e. conjunctivo utatur; atque hoc supra absolvimus (cf. I.). Alius autem si de istius personae consilio in narrando verba faciet, *oratione obliqua utatur oportebit*, optat. igitur ponendus est, qui solus locum habet in enunt. secundariis orat. obl. Atque si significare vult personam istam, de qua sermo est, etiam tempore quo ipse loquitur exspectare eventum consilii olim suscepti, id certe indicari nullo modo potest per solum conjunctivum, sed aliter dilucide est circumscribendum.

Ergo si tali in narratione tamen conj. exstat in en. fin. apparet *id enuntiatum non jam esse orationis obliquae.* Sunt quidem qui id ita explicent: a scriptore finem vel enuntiatum finale non proferri secundum mentem atque intentionem personae agentis (opt.), sed subjecto agenti quodammodo omnino neglecto nihil indicari nisi id quod post actionem istam, certo consilio susceptam, fuisset i. e. nude poni „eventum“ vel „consequens“ actionis, quasi factum aliquod, ut ita dicam, objectivum [1]). Contra quam argumentationem jam Widmannus

1) cf. Horn, usus opt. et conj. Tychopoli 1838, quem multi secuti

l. c. p. 19 optime monuit: conjunctivum etsi significaret nos exspectare, ut consilium nostrum, quod in agendo habuissemus, expleretur, tamen non per se exprimere necessariam quandam consecutionem vel eventum actionis, sed potius „exspectationem eventus“. Atque tum explicatione iterum egemus, quomodo in rerum praeteritarum narratione dici omnino possit de exspectatione eventus.

Ex mea autem sententia res haec esse videtur. Primum reminiscamur in en. fin., quae inveniuntur in narratione, optativum necessarium esse, orationis obl. indicem. Si conj. exstat elucet hoc enuntiatum non jam esse justae narrationis; scriptor neglexit regulas, quae legitime observandae sunt in narratione. — Recta igitur si uti volumus ratione, ante omnia quaerendum esse censeo, utrum tale quid in hac sola constructione fiat, an saepius inveniatur in lingua graeca? Atque profecto plane eandem rem cognoscemus, nisi fallor, si comparaverimus enuntiata interrogationis obliquae et sententias substantivas, quae inducuntur per *ὅτι, ὡς*. Haud enim raro leguntur constructiones tales: *ἐβουλεύοντο τί χ ρ ὴ ποιεῖν* (pro *χρείη*), s.: *ἐνόμιζον, ὅτι οὐκ ἐ β ο ύ λ ε τ ο ἰέναι* (pro *βούλοιτο*), quas ita explicari satis constat: orationem obliquam mutatam esse in rectam; i. e. interrogatio vel dictum non more narrativo ponitur, (tum opt. locum haberet), sed ita profertur, quasi is de quo sermo est interrogationem vel dictum istud ipse pronuntiaret; propria fere agentis verba posita sunt, indicativ. igitur pro optat. recte usurpatur [1]). — Simili explicatione uti possumus in enuntiatis fin. Nam si pro *ἐποίει ἵνα μάθοι* in narratione legitur: *ἐποίει ἵνα μάθῃ*, quod narrationis modus non servatus est, *ipsius agentis verba* sicut sententiarum structura postulat, per particulam fin. induci clarum est, quibus quidem qui agit consilium suum indicaturus fuisset eo tempore quo factum perfecit: consilium igitur non jam e mente personae istius narrando circumscribo (opt.), sed *quasi ex ore agentis ipsis ejus verbis* profero atque

sunt. Etiam Kuehner similiter rem tractat (II, 897c), diversa autem miscet. — Nuper ejus sententias iterum probavit Buettner l. c. progr. Schweidn. p. 13, qui satis miras res profert.

1) Matthiae §. 529, 5. Kuehner §. 399, 3.

pronuntio; ipsum agentem induco consilii sui eventum fidenter expectantem. — Itaque, ut in constructionibus quas supra attuli, ita etiam hic, si grammatica uti volumus definitione, dicendum est: *transitum quodammodo fieri ex orat. obl. in or. rectam.*

Atque adsunt mihi ut hanc meam sententiam probem clarissima haec exempla: *Il. B*, 3:

„ἀλλ' ὅ γε μερμήριζε κατὰ φρένα, ὡς Ἀχιλῆα
τιμήσῃ, ὀλέσῃ δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν".

(conj. enim secundum optimos codd. legendum esse affirmat la Roche; cf. etiam homer. unters. p. 293); qui locus certe proxime accedit ad exempla illa interrogationis obliquae, quae supra commemoravi; nam ὡς hoc loco medium locum obtinet inter significationem interrogativam et finalem. — Dilucidius res demonstratur in *Arist. Equ.* 668:

ὁ δ' ἠντιβόλει γ' αὐτοὺς ὀλίγον μεῖναι χρόνον,
ἵν' ἅτθ' ὁ κῆρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει πύθησθε.

Orationem obliquam mutatam esse in rectam docet secunda persona, quae exstat: πύθησθε; eadem explicatio statuenda esset, si enuntiatum finale adaptatum esset toti sententiarum structurae i. e. si scriptum esset: ἠντιβόλει, αὐτοὺς μεῖναι, ἵνα πύθωνται. — *Andoc. de myster.* §. 40: εἰπεῖν οὖν τὸν Εὐφίλητον, ὅτι καλῶς ποιήσειεν εἰπών, καὶ νῦν ἥκειν κελεῦσαι οἱ εἰς τὴν Λεωγόρου οἰκίαν, ἵν' ἐκεῖ συγγένῃ μετ' ἐμοῦ Ἀνδοκίδῃ καὶ τοῖς ἄλλοις. (vide secundam personam συγγένῃ et pron. quod est ἐμοῦ; nonne etiam si exstaret: ἵν' ἐκεῖ συγγένηται μετ' αὐτοῦ eodem modo explicaremus? — *Her.* VII, 8: Ξέρξης σύλλογον ἐπίκλητον Περσέων ἐποιέετο, ἵνα γνώμας τε πύθηταί σφεων καὶ αὐτὸς ἐν πᾶσι εἴπῃ τὰ ἐθέλει; documento est indic. ἐθέλει pro: τὰ ἐθελοίη quod orat. obl. esset. — *Thuc.* I, 31, 3: οἱ Κορίνθιοι ἦλθον πρεσβευσόμενοι ὅπως μὴ σφίσι . . τὸ Ἀττικὸν ἐμπόδιον γένηται θέσθαι τὸν πόλεμον ᾗ βούλονται[1]); vide ind. βούλονται. *Thuc.* I, 65 (supra p. 21): Ἀριστεὺς δὲ ἀποτειχισ-

---

1) Widmann l. c. p. 17 extr. etiam hunc conjunct. explicare vult e prima conj. vi, quod significet „explicationem". Vertit igitur hoc exemplum: Corinthii legatos miserunt, quia *sperabant fore* ut ita prohiberent quominus etc. Quae quidem versio nihil aliud esse videtur nisi circumscriptio; causam certe non docet, cur ferri possit conj.

*θείσης αὐτῆς καὶ ἐλπίδα· οὐδεμίαν ἔχων σωτηρίας, ἢν μή τι ἀπὸ Πελοποννήσου . . . γίγνηται, ξυνεβούλευε πλεῦσαι, ἵν' ἐπὶ πλέον ὁ σῖτος ἀντίσχῃ*; conj. *ἢν μὴ γίγνηται* documento est; in or. obl. exspectamus: *εἰ μὴ γίγνοιτο.* cf. etiam Herod. VII, 206. Thuc. I, 44, 2. Hom. Il. XX, 184 sqq.

Dixerit fortasse quispiam hanc nostram quam proposuimus explicationem fere accedere ad „repraesentationem" istam, quam voluerunt grammatici; nam etiam nobis sine dubio, si ita explicamus, cogitando redeundum est quodammodo in tempus praeteritum, ubi capitur consilium. Attamen scriptorem unoquoque loco res praeteritas quasi praesentes sibi finxisse, nisi nimis contortis uti vellemus explicandi rationibus, omnino statui non posse supra monui! Quomodo vero — dicat quispiam — si cogitando *non* redeas in tempus praeteritum usurpari potest or. recta pro obl.? Atque id ut recte intelligamus sententiamque nostram minime cum grammaticorum illorum congruere doceamus, restat quaestio: utrum omnino in uniuscujusque scriptoris arbitrio positum sit tali uti constructionum mutatione, an certam tantum ob causam haec proprietas possit admitti? Ac primum quidem si apud poëtas solos inveniremus hoc conj. genus, nominari fortasse posset licentia poëtica (cf. Suppl. 206 et 210, ubi idem verbum primum sequitur conj., deinde opt., quo altero loco cur. opt. melior sit, dici vix potest); sed quid? quod etiam saepius exstat apud historicos, philosophos, oratores? Atque ne poëtas quidem sine certo quodam consilio conjunctivum usurpasse post tempora sec. docebunt loci, quos post afferam, ubi conj. et opt. ex eodem en. prim. pendentes unus juxta alterum positi sunt, sensu plane diverso. Deinde vero, si respicimus constructiones quae sunt *ἐβουλεύοντο τί χρὴ ποιεῖν*, sim., satis notum est a scriptoribus, qui accurato student generi loquendi, tum tantum orat. rectam post praeteritum institui pro obl., si locum proferre volunt magna cum vi atque gravitate. (cf. Her. VII, 37: *τοῦτο τῷ Ξέρξῃ ἐπιμελὲς ἐγένετο*

---

Quod vero vertit: „quia sperabant", consentire videtur cum grammaticis iis, contra quos vehementissime pugnat, nam „sperare" tum demum possumus, si in tempus istud praeteritum cogitando redierimus.

*καὶ εἴρετο τοὺς Μάγους τὸ ἐθέλει προφαίνειν τὸ φάσμα,* ubi maxima in sollicitudine fuisse regem indicat Herod. Exempla multa atque eximia inveni in Plat. apol. cf. Cron ad 21 C. 17 A. 21 B. 21 D, saepissime alias.) — Atque quod attinet ad conj. nostrum finalem libere audeo profiteri rem plane eandem esse. Facillime id jam probavi in exemplis, quae attuli sub I, (si eventus consilii olim suscepti exspectari potest etiam tempore loquendi cf. supra, p. 17 sq.; quid vero si reperitur conj. in mera narratione? Nonne quod sermonis simplicitate neglecta artificiosius loquitur scriptor concedemus eum augere velle totius loci vim? Certe! Patent ei duae narrandi rationes; aut exponere potest res solito more, ut aoristum vel imperfectum excipiat optativus in en. sec., aut quamquam res omnino praeterierunt, tamen quasi etiam nunc exspectandus sit eventus eas ita enarrabit, ut personam agentem quasi ipsam meditantem inducat atque exspectantem faciat. (Or recta pro obl.). Tum vero fieri non potest quin concedatur *personae istius agentis consilium a scriptore magis premi atque efferri*, quam ceteras res quas sueto more simpliciter enarrat. — Nos fortasse id possumus imitari, si vertimus: „und zwar in der ganz besonderen absicht“ s. in der ganz bestimmten erwartung“, s. liberius: „und so sollte dann seine absicht in erfüllung gehen, dass nämlich“ etc. [De conj. cum *μή* post praeteritum verborum timendi cf. p. 31 sq.]. — cf. *Her.* VII, 8: *Ξέρξης σύλλογον ἐπίκλητον .. ἐποιέετο, ἵνα γνώμας τε πύθηταί σφεων καὶ αὐτὸς ἐν πᾶσιν εἴπῃ τὰ ἐθέλει.* Herod. narrat Xerxem, postquam subjecisset Aegyptum, convocasse contionem; finem quem in convocando Xerxes habuerit indicaturus repente neglecto narrationis modo ponit conj.; rem igitur ita narrat, quasi X. ipse consilium suum indicaret. Atque cum conj. certam ejus exprimat fiduciam fore ut in contione singularum experiatur opinionem — quod Herodoti temporibus certe exspectari non jam potest — apparet hoc Xerxis consilium hoc loco graviter efferri, „er berief eine versammlung (und hierbei handelte es sich nicht um etwas gewöhnliches, sondern seine absicht war) sich *unter jeder bedingung* von ihren meinungen zu unterrichten“. Atque re vera de gravi quadam re agi indicat etiam vocabulum

quod est ἐπίκλητον, ad quod Stein: „ἐπίκλ. bezeichnet die versammlung als eine auserlesene, ausserordentliche und darum besonders wichtige". — cf. *Ar. equ.* 893:

„καὶ τοῦτό γ' ἐπίτηδές σε περιήμπισχεν, ἵν' ἀποπνίξῃ",

magnam verborum vim pulcherrime reddidit Droysen: „das hat er mit fleiss dir angethan; du *sollst* erstickend sterben". — Atque cum hanc rem uberius etiam infra demonstraturus sim exemplis Euripideis hoc maxime tenendum esse puto: scriptores non, quod ubique res praeter. quasi praes. sibi fingant, conj. uti, sed quod modorum hanc mutationem maxime idoneam censeant, qua efficiatur, ut consilium indicetur satis grave atque firmum.

Ergo, ut totam quaestionem breviter complectar, tantum abest ut in arbitrio scriptoris positum sit, utrum conj. utatur an opt. post temp. sec., ut certissima lege circumscriptus sit hic conj. usus. Bene eum se habere vidimus iis merae narrationis locis, quos *maximi momenti esse vult scriptor*, id quod fieri potest:

1) si *eventum consilii exspectari* indicatur etiam *tempore narrandi* vel loquendi, (p. 17 sqq.)
2) si *persona agens* quasi ipsa meditans atque consilii consequens exspectans *inducitur*; (or. recta pro obliqua).
3) si propter magnum, quo afficitur in narrando, animi affectum res praeteritas quasi *praesentes* profert scriptor, — id quod rarissime exstat apud poëtas.

Quae cum ita sint haec statuenda videtur regula: locos in quibus ambigitur de scriptura, dummodo sanus e librorum lectione evadat sensus, esse componendos secundum optimos codd. Optativum esse substituendum pro conj., si nec causa adest, cur efferatur haec ipsa res, nec conj. ita potest explicari, ut bene quadret in nexum sententiarum. Quod vero unus fortasse cod. variam praebebit lectionem, jam ea de re haud ita mirandum esse puto, quod quam saepe opt. et conj. terminationes a librariis mutatae sint, satis inter omnes constet.

Sed priusquam transeamus ad Euripidem liceat moneri hanc conj. structuram apud nonnullos scriptores fere nunquam

inveniri, nisi fallor quod recedit a vulgari atque solito more loquendi. Optime hanc rem probat *Aristophanes*, quem quam maxime vulgarem reddere sermonem constat. Is enim in Nub. — edit. sequor Bergkianam — XVII praebet exempla fin., *semel* invenitur conj. post ἦλθον, vs. 539 (cf. exempla sub I, p. 17 sqq.); in Avibus XXV enunt. fin., *semel* conj. post praet. (vs. 72, cf. p. 18); in Ran. XXV, *semel* conj. post ἦλθον, vs. 1419; in Equ. XXXIII, *bis* conj. post praeter. (vs. 668 cf. p. 23; oratio vivida atque alacris est; — et vs. 893, cf. p. 26 supr.). Atque si in ceteris fabulis rem similem esse concludi licet, perpauca habemus exempla Aristophanea. Quod quidem haud ita mirandum est, cum sermonis vulgaris, quae respuit hanc artificiosiorem conjunct. structuram, certe magis proprium sit, res quae efferendae sunt, circumscribendo exprimere; ut Ar. av. 113: (δεῦρ' ἤλθομεν) σοὶ ξυγγενέσθαι βουλομένω, ubi etiam dici potest: ἵνα σοι συγγενώμεθα, vel id quod multo minoris est gravitatis: ἵνα σοι συγγενοίμεθα. —. —. In *Platonis* apol. XIII numeravi constr. fin., conj. post praeter. *non* invenitur; in ejus Crit. VII insunt, e quibus huc pertinet 43 B: ἐπίτηδές σ' οὐκ ἤγειρον, ἵνα ὡς ἥδιστα διάγῃς; urgetur vocabulum ἐπίτηδες = ich weckte dich nicht, in der ganz besonders festen absicht, dass du etc. — *Andocides* in or. de myst. XIX habet exempla fin; conj. post praet. *bis*: §. 40 (cf. p. 23) et §. 86 (adnumerandum est exemplis sub I). — *Demosthenes* orr. IV, VI, IX: XXIV exempla; conj. post praeter: *bis*; IX, 26 extr., ubi aoristus vice fungitur perfecti, cf. supra sub I, p. 17 sqq., et IX, 54 apud μὴ post vb. timendi. (de qua structura cf. p. 31 sq.). — *Xenophon* in Cyrop. l. I: XLI ex. fin.; conj. post praeter; *semel* c. IV, 2 (cf. p. 31). Multo vero saepius invenitur apud historiarum auctores *Herodotum* atque inprimis *Thucydidem*, qui hoc conj. maxime delectatur[1]). Accuratius perlegi Her. l. VII. Insunt exempla finalia XXXVI, — omitto participia finalia — sexdecies conj. excipit praeteritum! [Exemplis quae

1) Xenophontis vero „exped. Cyri" omnino non respiciendum esse puto, quod hoc in opere fere nimia cum neglegentia et tempora et modos mutat sine certo, ut videtur, consilio.

sub I collegi p. 17 sqq. adnumerandi sunt loci: c. 8 (cf. p. 18). c. 36. Or. recta instituta est pro obl., ut res aliqua prematur, (id quod jam nonnullis exemplis Herodoteis demonstravi) in: c. 8 (p. 25). 36 (bis). 37. 131. 149. 150. 163. 168. 191. 206. 218. 220. 221. Maximi momenti videtur esse, quod duodecies exstat particula, quae est validissima *ἵνα*.] — Neque aliter rem se habere in Thucydide doceant multa illa exempla, quae Widmannus collegit l. c. p. 26 sqq. —

Quod vero attinet ad poëtas equidem censeo *epicos* hac in re omnino non esse respiciendos, qui quidem praeterquam quod certis nonnullis formulis uti solent, etiam ut narrationem vividiorem reddant, saepius et tempora et modos nulla certa lege mutant atque variant (quamquam ne Homerica quidem exempla repugnare nostrae regulae intelligi potest e locis quos collegit la Roche, hom. unters. p. 292). — E *tragicis* Euripidem maxime uti hac constr. satis notum est. Aeschylus in omnibus, quae traditae sunt, fabulis unum habet exemplum: Eum. 638 (post aoristum vice perfecti fungentem cf. Proske l. c. p 11); nam Prom. 463 jam a Dawesio correctus est. Etiam Sophocles semel tantum praebet hanc structuram: Antig. 412 (cf. p. 31). — Contra Euripides XXVIII exhibet exempla, e quibus cum XIV jam sub I enumeraverim, restant XIV, quae ita fere distribuenda sunt:

1) Poëta propter *rei gravitatem* aliquod consilium dignum putat, quod *maxime efferatur.* Tum nonnunquam, ut nexus postulat, aut efficitur *gravis oppositio*, aut si res plane cogitatae sunt, *ironia.* — Ac primum quidem ut exemplum afferam, quo optime conspici possit or. obl. mutatam esse in rectam, cf. *Jon.* 1558:

> ὅς (sc. *Ἀπόλλων*) *εἰς μὲν ὄψιν σφῷν μολεῖν οὐκ ἠξίου,*
> *μὴ τῶν πάροιθε μέμψις εἰς μέσον μόλῃ,*
> *ἡμᾶς δὲ πέμπει τοὺς λόγους ὑμῖν φράσαι,*
> *ὡς ἥδε τίκτει σ' ἐξ Ἀπόλλωνος πατρός,*
> *δίδωσι δ' οἷς δέδωκεν κτλ.*

*μὴ . . μόλῃ* Apollinis ipsa verba sunt, quod demonstratur etiam indicativis qui sequuntur: *τίκτει, δίδωσι;* or. obl. mutata est in rectam.

Hec. 1245: *ἐμοὶ δ', ἵν' εἰδῇς, οὔτ' ἐμὴν δοκεῖς χάριν*

*οὔτ' οὖν Ἀχαιῶν ἄνδρ' ἀποκτεῖναι ξένον.*
*ἀλλ' ὡς ἔχῃς τὸν χρυσὸν ἐν δόμοισι σοῖς.*

Enuntiatum finale pendet ex infin. aor. ἀποκτεῖναι, Latine: „equidem suspicor (δοκεῖς) te non mea gratia necavisse Polydorum, sed — nunc interrumpitur. obl. or. — habere voluisti aurum". — Agamemnon igitur ita verba profert, quasi jam exspectaret Polymestor, ut aurum Polydori adipisceretur. Atqui jamdudum, quod interfecit Polydorum, adeptus est aurum. Ergo, cum nihilo minus per conj. exprimatur exspectatio, dicendum est Agamemnonem consilium Polymestoris *ejus ipsius verbis* proferre, quibus usus esset Polymestor eo tempore, quo consilii eventum jam exspectare potuit. Atque solito more dicendi relicto cum Polymestor ipse quasi actionis consequens exspectans inducatur, verba magnam adipiscuntur vim atque gravitatem; magna fit oppositio ad verba, quae praecedunt: ἐμὴν χάριν. — Optativus ἔχοις, qui in cod. C jam prave positus est, vertendus est: „auch glaube ich, dass du nicht meinetwegen den gastfreund getödtet hast, sondern (ich glaube) dass du beabsichtigtest, seine schätze zu erlangen; (tum igitur indicaret Agamemn., qualem causam in necando Polydoro habuisse Polymestorem ipse *suspicaretur*); conj. vero: sondern deine (wol überlegte, feste) absicht war dabei: du *wolltest* seine schätze erlangen.

Contra Hec. 712: χρυσὸν ὡς ἔχοι κτανών (pendet ab ἔκτεινε vs. 709), lectio ἔχῃ, quam recentiorum codicum esse adnotat Kirchhoff reicienda videtur quod chorus tantum *suspicatur* atque ex sua ipsius mente *fingit* (optat.) tale consilium Polymestoris neque tam fidenter conj. uti potest.

*Or. 654*: *ἀπέδοτο δ', ὡς χρὴ τοῖς φίλοισι τοὺς φίλους*
*τὸ σῶμ' ἀληθῶς, σοὶ παρ' ἀσπίδ' ἐκπονῶν*
*ὅπως σὺ τὴν σὴν ἀπολάβῃς ξυνάορον.*

Agamemnonem in pugnando id maxime egisse dicit Orestes, ne prius desisteret, quam Menelaus recuperavisset Helenam. Conj. demonstrat or. obl. mutatam esse in rectam; Agamemnonis ipsa verba ponuntur (ut postulat constructio finalis), quibus tempore pugnandi usus esset. Quo conjunctivo verbum ἐκπονῶν maxime premi apparet; nos: „er schaffte rüstig; du *solltest* auf jeden fall deine gattin wiederhaben". —

Causam igitur idoneam non video, cur Nauck scripserit *ἀπολάβοις* secundum „duos recentiores codd.“, praesertim cum conjunctivum etiam praebeat Eustath. ad Il. p. 573, 30. Certe optat. vim verborum valde debilitat causam tantum afferens, cur pugnam subierit, nullo respectu habito utrum perficiatur consilium necne, = er schaffte rüstig, um dir die gattin wiederzubringen.

*Troad. 1143*, ubi *ὡς περιστείλῃς* pendet ab *ᾐτήσατο* (1133). Hoc loco clarissime elucet orat. obl. interrumpi per conj., fere *ἀνακολούθως* loquitur poëta. Andromachae ipsa verba, quae ei mandaverat, affert Talthybius, ut majore cum vi, quae ultima optaverat Andromache, Hecubae commendet.

*Suppl. 150: ἀραῖς πατρῴαις, μὴ κασίγνητον κτάνῃ.* (sc. *Πολυνείκης Θήβας ἔλιπεν*). Adrastus ad verbum Polynicis consilium, quod habuerit in fugiendo, affert; certe sperat Polyn., si relinquat Thebas, fratris salutem integram fore. Consulto poëtam usum esse conjunctivo, unusquisque statim persuasum habebit, si meminerit, quamquam hic Polynicem fugiendo quam maxime vitare voluisse necem fratris spectatores doceantur, hanc ipsam fugam tamen causam fuisse necis fraternae. — Hermannus, Nauckius, alii recentt. sine causa posuerunt optativum, qui vi loci valde minuta solam causam indicat abeundi = „er ging fort, um nicht ursache des todes zu werden“; conj. multo firmius: „er ging fort; denn er *wollte* nicht ursache werden“. — Per hunc igitur conj. gravis fit oppositio inter hoc certum Polynicis consilium et ea, quae re vera post facta sunt.

*Troad 978: . . . τοῦ γὰρ' εἵνεκ' ἂν θεὰ*
*Ἥρα τοσοῦτον ἔσχ' ἔρωτα καλλονῆς;*
*πότερον ἀμείνον' ὡς λάβῃ Διὸς πόσιν; κτλ.*

Conj. exprimit secundum propriam suam vim exspectationem deae, quam habuit in agendo. Atqui haec exspectatio vana omnino est; nam certe meliorem maritum Jove adipisci non potest; ergo (quod res plane cogitata est) *irŏnice* loquitur Hecuba. Verte: weshalb sehnte sich Juno denn so sehr die schönste zu sein? sie *beabsichtigte ganz gewiss*, einen besseren gemahl zu erlangen als Zeus. Optativus, quem Nauckius atque Kirchhoffius Seidlerum secuti receperunt, minus

recte se habet, per quem Hecuba tantum indicaret qualem causam certaminis deae fuisse *suspicaretur*. (cf. Tr. 1161).

Neque si recte explicamus causa est, cur mutemus *Iph. Aul. 709:* Χείρων (sc. ἔθρεψε Ἀχιλλέα), ἵν' ἤθη μὴ μάθη κακῶν βροτῶν. Conjunct. fere ad verbum reddit Chironis consilium, quod in educando habuit, quasi ipse Chiron diceret: ἐγὼ αὐτὸν τρέφω, ἵνα μὴ . . μάθῃ. „Chiron erzog ihn: er sollte sich keine der schlechten eigenschaften der menschen angewöhnen". Fortasse subintelligi potest hoc conj. Agamemnonem dicere voluisse Achillem re vera malos mores non didicisse.

*Iph. Taur. 1336:* χρόνῳ δ' ἵν' ἡμῖν δρᾶν τι δὴ δοκῇ πλέον
ἀνωλόλυξε καὶ κατῇδε βάρβαρα
μέλη.

Conj. bene se habet, nam nuntius efferre vult Iphigeniae simulationem; verte: von zeit zu zeit — sie *wollte* in uns den glauben erwecken, als schritte die sühnung fort — sang sie zauberformeln". Hoc ipsum Iphigeniae consilium, quod quasi ex ejus ore ad verbum profert, ea de causa nuntius ita premit, ut fere veniam petat, quod non statim simulationem Iphigeniae intellexisset.

2) Separatim spectandi sunt loci, ubi invenitur *μή c. conj. post praeterita*, inprimis *post verba timendi*. Res admodum simplex est. Nam si in narranda aliqua re or. obl. mutatur in rectam, ut quod olim timendum fuerit afferatur quasi ex ore ejus, qui timore affectus erat, causam esse hanc apparet: quod scriptor indicare vult timorem quam maximum fuisse. cf. locos, quos supra commemoravi: Xen. Cyrop. I, 4, 2: δῆλος ἦν πᾶσιν ὅτι ὑπερεφοβεῖτο μὴ οἱ ὁ πάππος ἀποθάνῃ = alle sahen deutlich, wie sehr ihn die furcht quälte: wenn nur nicht der grossvater stirbt". — Soph. Ant. 412:

καθήμεθ' ἄκρων ἐκ πάγων ὑπήνεμοι
ὀσμὴν ἀπ' αὐτοῦ μὴ βάλῃ πεφευγότες.

Nuntius, ut quantus timor iis fuisset indicet, repetit ipsa fere verba, quibus eo tempore usi erant: „wir zogen uns zurück in der höchsten angst: uns trifft der böse geruch". — Sic apud Euripidem:

*Phoen. 70:* τὼ δ' εἰς φόβον πεσόντε, μὴ τελεσφόρους

εὐχὰς θεαὶ κραίνωσιν οἰκούντων ὁμοῦ,
ξύμβαντ' ἔταξαν κτλ.

Breviter circumscribi potest: fratres metuunt „τὸ κραίνειν εὐχάς". Optativus, quem Brunckius recipi jussit, significaret: „metuebant, ne dii *fortasse* explerent". Quod Euripides dicere omnino non vult, nam sensus conjunctivi est: „*certissimus* iis timor erat, ne dii explerent". Persuasum habent deos vota patris expleturos esse, si in eadem domo manserint; conj. ipsorum quasi verba, quae proferebant, cum domum relinquere constituerunt, magna cum vi repetit; = sie fürchteten bei der festen überzeugung: die götter werden des vaters fluch erfüllen [1]). — Res plane eadem est in *Hipp. 1310.* — *cf. Andr. 626:*

οὕτως ἔδεισας μὴ οὐ κακὴν δάμαρτ' ἔχῃς.

(codd. plerique: ἔχεις). Per conj. maxime premitur vox: κακὴ δάμαρ.

*Or. 59:* Ἑλένην φυλάξας νύκτα, μή τις εἰσιδὼν
μεθ' ἡμέραν στείχουσαν, . . εἰς πέτρων ἔλθῃ βολάς
προὔπεμψεν εἰς δῶμ' ἡμέτερον.

Orationem obl. mutatam esse in rectam etiam demonstrat ind. τεθνᾶσι. Menelaus persuasum habet fore ut Helena, nisi nocte utitur, necetur; nos ad sensum: er wählte die nacht, damit sie nur ja nicht . . gesteinigt würde.

3) Fieri sane potest, ut, si quis magno animi motu in narrando afficitur, res praeteritae tanta alacritate proferantur, quasi praesentes essent. Quam „repraesentationem" aliquando inveniri supra jam monui, neque apud Euripidem saepius statui potest quam duobus locis. *cf. Bacch. 1116:*

ὁ δὲ μίτραν κόμης ἄπο
ἔρριψεν, ὥς νιν γνωρίσασα μὴ κτάνῃ
τλήμων Ἀγαύη.

Hoc loco maxime vividam atque alacrem esse descriptionem fusius exponere supervacaneum videtur, cum jam probetur multis illis praesentibus historicis, quae immixta sunt. cf.

---

1) Hermanni explicatio: »κραίνωσι dictum est, quod nondum evenit, cum loquitur Jocasta, quod filiis imprecatus est Oedipus«, vix probari posse videtur.

πίπτει 1112; προσπίτνει 1115; λέγει 1117. — Nuntius igitur ingenti perculsus horrore adeo cogitando redit in tempus istud, quo res, quas describit, factae sunt, ut plane praesentia sibi fingat Agavae facinora. Hoc igitur loco sine dubio erravit Nauckius, qui Brunckio auctore κτάνοι recepit, quam quidem Brunckii „emendationem“ potius „corruptelam“ esse jam dudum monuit Matthiae. — Alter locus est *Hec. 27*:

κτείνει με χρυσοῦ τὸν ταλαίπωρον χάριν
ξένος πατρῷος καὶ κτανὼν ἐς οἶδμ' ἁλὸς
μεθῆχ', ἵν' αὐτὸς χρυσὸν ἐν δόμοις ἔχῃ.

Etiam hoc loco maxima alacritate Polydorus res praeteritas spectatoribus „repraesentat“, ita quidem ut praesentia atque aorista misceat (cf. ἀπόλλυται vs. 21; πίτνει vs. 23; κτείνει 25). Quare cum Hermanno, quem laudat Franke l. l. §. 11, minime possum consentire, qui adnotat: „hoc loco conj. non tam consilium Polymestoris indicat, quam possideri *nunc* ab eo aurum“. Nihil aliud per conj. exprimitur, nisi quod alias solet: exspectatio eventus; propter magnum animi dolorem, quo afficitur in narrando et propter alacrem atque vividum sermonis tenorem Polydorus cogitando plane redit in tempus praeteritum, ita ut Polymestoris facinus enarret quasi praesens, i. e. quasi etiam isto tempore, quo narrationem profert Polydorus, Polymestor consequens actionis suae posset exspectare.

III. Addendi sunt ii loci, in quibus invenitur *conj. post opt., qui significat votum.* Per se patet si votum proferimus, quod cogitatum tantum est nec minime respicit veritatem, etiam omnia ea, quae cum isto voto cohaerent, quippe quae in cogitatione nostra sint, esse exprimenda per optativum [1]). Tamen si conj. invenitur, justam habet explicationem. Significat enim per eum is qui loquitur se non jam perseverare in statu optandi neque jam proferre consilium *cogitatum*, sed se votum suum tanquam ita expletum sibi fingere, ut adnectat consilium aliquod, cujus eventum fidenter exspectet. Gravius igitur loquitur atque firmius, quam si utitur optativo. Neque neglegendum esse Proske p. 14 recte monuit

---

1) cf. Herm. ad Soph. Ag. 1222. — Baeuml. l. c. p. 272.

quater Euripidem apud talem conj. usum esse particula quae est ἵνα, qua validissimum atque gravissimum consilium indicari jam supra notavi. — Conferas e Sophocle Trach. 1109: προσμόλοι μόνον, ἵν' ἐκδιδαχθῇ, quod fere circumscribendum est: „utinam veniat, nam si advenerit, certe discet" etc. — Ita apud Euripidem:

Iph. Taur. 439—45: εἴθ' εὐχαῖσιν δεσποσύνοις
Λήδας Ἑλένα φίλα παῖς
ἐλθοῦσα τύχοι τὰν
Τρῳάδα λιποῦσα πόλιν, ἵν' ἀμφὶ χαίτᾳ
δρόσον αἱματηρὰν εἱλιχθεῖσα
λαιμοτόμῳ δεσποίνας χερὶ θάνῃ,

ubi sine causa Nauck secundum Seidlerum scripsit θάνοι. Chorus enim optat, ut votum Iphigeniae expleatur; certum autem addit consilium, quod sine dubio perficietur, si votum dominae verum fiet (sc. si Helena veniet Troja). Si optat. exstaret θάνοι, votum Iphig. tantum continuaretur. — Conj. ita fere vertendus est: „o käme doch dem wunsche meiner herrin gemäss Helena v. Troja her; dann *soll ihr ein blutiger tod bereitet* werden; opt. θάνοι sic fere: „o käme doch Helena, damit ihr bereitet werden könnte; i. e. o käme doch H. und *würde ihr dann bereitet.* cf. Koechly ad h. l. Klotz ad h. l.

Eodem modo *Hel. 174—178:*
μουσεῖά τε θρηνήμασι ξυνῳδὰ
πέμψειε Φερσέφασσα φόνια, χάριτας ἵν' ἐπὶ δάκρυσι
. . παιᾶνας λάβῃ.

verte: „dann soll sie von mir erhalten". cf. Pflugk ad h. l. cf. etiam Jon 672. Suppl. 621. — Or. 982—984:
μόλοιμι τὰν οὐρανοῦ μέσον χθονός τε τεταμέναν
πέτραν, . . . ἵν' ἐν θρήνοισιν ἀναβοάσω
γέροντι πατρὶ Ταντάλῳ,

ubi cum Hermanno aliisque praeferam notionem finalem particulae ἵνα, quamquam Porsonus, qui localem eam explicavit hoc loco, haud ita vituperandus est, praesertim si contuleris similes locos Eurip.: Hipp. 732 sq. 743 sq.

Restat Andr. 845:
ἀλλ' εἴ σ' ἀφείην μὴ φρονοῦσαν ὡς θάνῃς;

qui locus quod conj. sequitur optativum enuntiati conditionalis primo aspectu mirus potest videri; atque interprr. omnino desperasse videntur de hac codd. scriptura explicanda. — Sed conj. ex mea sententia nihil praebet offensionis. Optat. enim, quem Aldina habet, continuat enunt. conditionale = „wenn ich dich nun in deinem unverstande losliesse, dass du dich dann tödten *könntest*“?, quod in sensum vix quadrat. Nam paulo ante distincte jam dixerat Hermiona: τί με βρόχων εἴργεις; perbene igitur scit nutrix Hermionam se ipsam velle interficere. Ergo nonne multo melius erit, si interrogat: aber wenn ich dir nun die freiheit geben würde, damit du dann *wirklich sterben kannst?* (conj.). Primum igitur pronuntiat conditionem, quae utrum perficiatur necne non refert (opt. εἴ σ' ἀφείην); tum statim, quasi jam perfecta esset haec conditio adnectit consilium, cujus eventus certissime potest exspectari. Res eadem est ac si conj. exstat post opt. qui significat votum. Circumscribi potest: „gesetzt ich liesse dich frei, dann wirst du dich ja sicher tödten!“ Itaque Nauckius non recte fecit qui ex Ald. recepit optativum, qui quidem significat: „gesetzt ich liesse dich los, dann würdest du dich ja tödten können“! Attamen tota sententia non placere videtur. Nam quid sibi vult vocabulum ἀλλὰ? Certe cum Pflugkio non possum consentire, qui signo interrogationis post θάνῃς deleto interpelli vult orationem nutricis ab Hermiona. Et ne Kirchhoffii quidem conjectura: οὐκ ἂν σ' ἀφείην etc. probanda videtur. Potius e toto nexu tale quid exspectamus: „Tu quidem cur gladium tibi non reddam quaeris; at *si sana omnino mente sum*, *nunquam te liberabo*, quod statim te ipsa interficies“. Itaque Sauppii praeceptoris ill. conjecturam quae maxime mihi placet apponam:

ἀλλ' οὐ σ' ἀφείην εὖ φρονοῦσ' ἄν, ὡς θάνῃς.

Haec habui quae dicerem de conj. post tempora secund. Vidimus igitur erravisse et eos interpretes, qui conj. post praet. rejecto verba summo cum arbitrio mutaverunt, et eos qui protulerunt interpretationes difficiles atque contortas, ut conj. explicarent servarentque. Res plane clara est atque dilucida, dum propriam vim modorum retineamus. Quod

Nauckium saepius neglexisse eo magis dolendum est, cum ea de causa Brunckii Musgraviique sententias diu refutatas de integro permultis locis secutus sit.

---

## Caput II.

## De optativo solo.

Optativo significari aliquid, quod tantum in mente atque cogitatione nostra versatur, nulla ratione habita utrum verum fiat necne, supra jam monui, ubi prolixius de Baeumlinii Delbrueckiique sententiis verba feci. In enunt. igitur finalibus cum indicet consilium aliquod cogitatione contineri neque quidquam referre utrum perficiatur necne, idem est atque optativus orationis obliquae [1]). — Jam vero cum in ipsa optativi natura positum sit, ut potissimum sequatur tempora praeterita (cf. Franke l. c. p. 1237) primum enumeremus locos Eurip., ubi exstat:

### §. 1.

### *I. Optativus post tempora secundaria.*

#### 1. Post particulam ὡς et ὡς μή.

Imperfectum praecedit: Hec. 927. 1158. Herc. f. 478. El. 1043. Jon. 1126. Iph. Aul. 272. Bacch. 1050. fr. 534, 9. — Post aoristum: Med. 559 sqq. (pendet ex ηὗρον 553). Heracl. 883. Hec. 712 (recentt. codd. conj. ἔχῃ; rejiciendus est, cf. p. 29). Suppl. 210. 256. Herc. f. 1268. El. 1282. Iph. T. 1184 (pendet e καθεῖσαν 1181; Nauckius sine idonea causa codd. lect. σώσαις mutavit in σώσῃς. Quid sibi vult?) Jon 1186 (pendet ex infin. δοῦναι; consilium igitur Creusae exprimitur). Hel. 39. 48. 237. 680. Phoen. 1097. Or. 1641.

---

1) Cf. Aken §. 140, 3. Hermann de part. ἄν p. 139: »quod si verum fateri volumus, omnis omnino oratio obliqua est; sed usu factum est, ut illud genus, quo nostra ipsorum cogitata sic enunciamus ut non diserte distinguamus cogitantem ab loquente, rectae orationis speciem habeat«.

Iph. A. 171. 234. 423. 1603. Cycl. 12. fr. 1117, 30. Praecedit participium quod praebet sensum imperfecti: Hel. 245. Herc. f. 929.

*ὡς μή* Herc. f. 1010. El. 268. — Hel. 586. Or. 577. Jon 1301 (pendet e *φόβῳ* 1300).

2. Post particulam *ὅπως* et *ὅπως μή*..

Relativam propriam suam vim servavit particula his fere locis: Hipp. 392: *ἐσκόπουν ὅπως ἐνέγκαιμ' αὐτόν*, ubi verte: „spectavi, meditatus sum, *quomodo*“ ect.; finalem vim vix habet. — Tr. 1008. Iph. Aul. 56. — Finalem sensum *ὅπως* habet his locis: Tr. 1005. Phoen. 1383. — Heracl. 657. Herc. f. 1278. Iph. T. 952. Phoen. 449.

*ὅπως μή* Heracl. 995 (ubi etiam relativa significatio statui potest).

3. Post *ἵνα* et *ἵνα μή*.

Iph. A. 885. Andr. 427. Phoen. 64. Bacch. 22. — *ἵνα μή*. Andr. 225. fr. 392, 5.

4. Post particulam *μή*.

Or. 1459: *ἄλλος ἄλλοσε δίνασε ὄμμα, μή τις παρὼν τύχοι* = circumspiciebant, ne quis adesset. E consuetudine linguae graecae satis nota breviter dictum est; sensus postulat ut addatur ante *μή* notio timendi, vel cavendi. — cf. Hec. 1141 (cf. postea §. 2). Andr. 721. Herc. f. 547. El. 22. 26. 30. Tr. 1161. Iph. T. 1340. Or. 1419. 1669. Hel. 1672. Bacch. 1072.

II. Optativus invenitur post *enuntiatum, quod continet votum.* Quod cum per se dilucidum sit (cf. etiam p. 33 apponam tantum Hermanni verba (ad Aj. 1222): „cum incertum sit eventurane sint, quae optamus an non, non minus incerta sunt omnia, quae ex his pendent“ [1]). Apud Euripidem duobus locis hic opt. exstat: Hec. 836—39:

*εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι*
*καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι καὶ ποδῶν βάσει . .*
*. . ὡς πάνθ' ὁμαρτῇ σῶν ἔχοιντο γουνάτων.*

Votum cum nullo modo possit expleri, apparet etiam consi-

---

1) Exempla cf. apud Herm. *ἄν* p. 146.

lium quod adnectitur in cogitatione tantum esse. — cf. Hipp. 732 sqq., ubi localem sensum habere potest partic. *ἵνα* qualem habet in vss. 744. 750.

III. Quae cum probata sint facile intelligitur optativum optime omnino posse tolerari post *ea enuntiata*, *quae abhorrent a veritate*, quae plane „subjectiva“ sunt, ut dicunt grammatici; i. e. post *optat. potentialem*, *conj. dubitat.*, *deliberat.*, sim. Qua de re cum jam egerit Proske in dissert. suae p. 16, satis sit hic afferri Frankii verba (§. 8): „denique optat. ponitur, si id ipsum, cui adjuncta est consilii notatio, mente tantum et cogitatione, non re et facto continetur. Nam si incertum relinquimus futnrumne sit illud, quod cogitatione ponimus, an non, etiam finem ad quem perveniri posse cogitamus, optativo indicare debemus“.

cf. Tr. 701: *κἂν δρᾷς τάδ᾽, εἰς τὸ κοινὸν εὐφρανεῖς φίλους*
*καὶ παῖδα τόνδε παιδὸς ἐκθρέψειας ἂν*
*Τροίᾳ μέγιστον ὠφέλημ᾽, ἵν εἴ ποτε*
*ἐκ σοῦ γενόμενοι παῖδες ὕστερον πάλιν*
*κατοικίσειαν καὶ πόλις γένοιτ᾽ ἔτι.*

Quae quidem verba interpolationis indicia dilucidissime prae se ferunt. Atque cum desit praedicatum in enuntiato conditionali, quod inducitur per *εἴ ποτε*, conjecturas jam periclitati sunt Musurus *ἵν᾽ οἵ ποτε*, Nauckius *ἣν ἄν ποτε*, Kirchhoffius in ed. min.: *εἴ νίν ποτε*. — Attamen ne sic quidem locum sanatum esse judicem. Nam certe secundum totum sententiarum nexum non de filiis Andromachae sermo esse potest, sed agitur de solo Astyanacte, quem educare debet Androm., Trojae maximum auxilium. Quid igitur sibi vult: *ἐκ σοῦ γενόμενοι παῖδες*? — Kirchhoff in ed. maj. jam recte intellexerat (p. 543) poëtam scripsisse *κατοικίσειεν*, „ad Astyanactem relatum“; addit vero: id mutatum esse in *κατοικίσειαν*, quod post *παῖδες* complura excidissent. Sed quidnam deest? Noli frustra quaerere! Nam ne verba quidem quae exstant (*ἐκ σοῦ γενομ. πᾶιδες*) quadrant in nexum sent. Si omnino post *ἵνα* enunt. condition. posuit poëta, etiam hoc ipsum agere debet de Astyanacte; ferri igitur posset tale quid: „(filium educabis, Trojae auxilium), ut si *bonos mores didicerit*, *si patriae amorem ei inculcaveris*,

urbem patriam restituat". Neque valde distat a librorum scriptura, si mutamus: ἵν' εἴ ποτε ἐκ σοῦ γένοιτ' εὔπαις νιν ὕστερον παλ. κατοικίσειεν = „ut, si nobili tua educatione fructus erit, postea eam (sc. Trojam) restituat". Attamen ne suadeam haec verba recipi ea res obstat, quod εὔπαις significat: „liberis praeditus", s. „is qui multos liberos habet" = mit kindersegen beglückt, (cf. Jon. 491. Suppl. 955; contra: Herc. f. 689. Iph. T. 1234 = bene educatus); — neque tota enuntiati structura videtur placere posse. Ergo simplicissimum puto vs. 704 *spurium haberi.* Fortasse librarius aliquis, qui dubitaret, num unus Astyanax restituere posset urbem, apposuit: „si plures filii tibi erunt", cum proprie Euripidem ita scripsisse statui velim:

καὶ παῖδα τόνδε παιδὸς ἐκθρέψειας ἂν
703 Τροίᾳ μέγιστον ὠφέλημ', ἵν' αὖ ποτε
705 κατοικίσειε καὶ etc.

Praeterea post conj. dubitat. optat. invenitur in Iph. Aul. 1615 sqq., ubi cf. Hermann et Weil.

IV. Ut vidimus conjunctivum post tempora sec. non esse „exceptionem regulae", sed potius secundum certam aliquam regulam optime poni posse, ita ne *optat. quidem post tempora praesentia,* qui quidem perraro invenitur [1]), quidquam praebet offensionis. Simplicissima res est, si praecedit praesens quod dicitur historicum. Nam etiamsi cap. I, §. 2 vidimus si talia praesentia historica miscentur cum aoristis temporibusque secundariis, narrationem adeo esse alacrem atque vividam, ut cogitando tempus praeteritum fingatur praesens neque quidquam obstet, quin usurpetur conjunct., tamen quod res praeteriit veritatemque omnem exuit, non mirandum est etiam optativum poni post talia praesentia [2]). Ex Euripide vero notandi sunt hi loci: post ὡς: Andr. 1112. El. 39 (pendet e δίδωσιν 34); Jon 40. 822. 1214; post ἵνα: Hec. 11; ἵνα μή: Hec. 1149. —

Praeterea vero optat. praegresso tempore praesenti bis

1) Widmann p. 44 affirmat in Thucyd. nunquam optat. post tempus praes. inveniri excepto praes. histor.

2) Matthiae §. 518, 2. Kuehner §. 553, 4a.

apud Euripidem exstat[1]). Supervacaneum igitur judico quaestionem instituere, num omnia ista quae docuerint grammatici de opt. post praes. recte se habeant, cum id teneri sufficiat: optativo ubique indicari de eventus exspectatione minime cogitari, sed finem atque propositum, quod statuimus, adeo abesse a veritate, ut in mente tantum atque cogitatione nostra versetur[2]). — In duobus istis autem, qui hic nobis tractandi sunt, locis eo facilius optat. potest explicari, quod res proferuntur e mente alius. (or. obl.). Legitur enim in Iph. T. 1210:

*ΙΦ: καὶ πόλει πέμψον τιν' ὅστις σημανεῖ ΘΟ: ποίας τύχας;*
*ΙΦ: ἐν δόμοις μίμνειν ἅπαντας. ΘΟ: μὴ συναντῷεν φόνῳ;*

quod rectissime vertit Hermannus: „nempe tu in mente habes, ne quis occurrat piaculo“?; ex mente igitur dictum est Iphigeniae, scilicet ab Iphigenia cogitatum. Itaque quod Thoas per optat. exprimit se suspicari tantum Iphigeniam tale consilium in jubendo habere, germanice quadrat fere particula: „*etwa* dass keiner begegnet“. cf. etiam Klotz et Koechly ad h. l. Kuehner II, p. 898. Matthiae II, 1183. Nauckium vero Weiliumque, qui Elmsleium secuti scribunt *συναντῶσι* non recte fecisse optime intelligitur e Baeumlinii verbis (l. c. p. 274 extr.): „der conj. müsste so verstanden werden, dass Thoas, indem er das *ἐν δόμοις μίμνειν ἅπαντας* zu seiner eigenen forderung macht, selbst dabei den zweck gehabt hätte, dass die bürger dem mord fernbleiben. So aber forscht er vielmehr nach der absicht, die Iphigenia bei diesem begehren hatte und der optas dient dazu, um *aus der seele eines anderen eine absicht anzuführen*“. — Hoc nostro loco certe conjunct. si esset in codd., aeque bene ferri posset, atque optativus nihil offensionis haberet si exstaret in vs. 1216: *ἅγνισον πυρὶ μέλαθρον. ΘΟ: καθαρὸν ὡς μόλῃς πάλιν;* ubi exstat conj. Causam vero non video, cur mutemus, cum librorum lectio in utroque loco justissimam praebeat explica-

---

1) Ceterorum tragicorum exempla (perpauca sunt) collegit Proske l. c. p. 17 sqq.; omisit vero e nostro Iph. Aul. 1595.

2) cf. Herm. ad Soph. El. 57. Reisig, comment. crit. in Oed. Col. p. 169.

tionem. — Alter locus est Iph. Aul. 1595, quo in loco quamquam eadem explicatione uti possumus (e mente deae dictum esse optat.), tamen omnino non morandum est, quod haec omnia inde a vs. 1540 usque ad finem fabulae Euripidis non sunt.

Adnumerandus etiam est Iph. Aul. 881:

> *ΠΡ: θέσφαθ'* (sc. *ἐπάγουσιν*), *ὥς γέ φησι Κάλχας, ἵνα πορεύηται στρατός.*
>
> *ΚΛ: ποῖ; τάλαιν' ἐγώ, τάλαινα δ' ἣν πατὴρ μέλλει κτανεῖν.*
>
> *ΠΡ: Δαρδάνου πρὸς δώμαθ', Ἑλένην Μενέλεως ὅπως λάβοι.*

E *θέσφατ' ἐπάγουσιν* pendet conj. (*πορεύηται*), ex hoc conj. iterum optat. (*λάβοι*), quem contra codd. auctoritatem Nauckius et Weilius mutaverunt in conj. Opt. vero bene quadrat in sensum. Dicit enim senex: oracula eum adducunt ad Iphig. necandam, ut (sic enim Calchas vaticinatus est) exercitus *proficiscatur* atque tum Menelaus Helenam *recuperaret*. Etiam latine conj. imperfecti tolerari potest, nam verba *ὅπως λάβοι* proferuntur *e mente Calchantis* (*ὥς γέ φησι Κάλχ.*) Verte: die orakel bewegen ihn, denn nur so kann das heer fortkommen (wie Kalchas sagt), und so würde denn Menelaus auch die Helena wiederbekommen können. Or. igitur est obliqua; e Calchantis mente pronuntiantur verba; optat. retinendus est.

## §. 2.

### *Conjunctivus atque optativus mutantur.*

Ex magna exemplorum quae attuli copia cum satis apparuerit modos finales omnino non aptos esse e tempore sententiae primariae, ne mirandum quidem est, si duo plurave enuntiata finalia juxta ponuntur, quamquam utrumque ex una eademque pendet sententia primaria, nonnunquam tamen in altero conj., in altero opt. exstare. Jam vero quaestio oritur, num omnino talibus locis conj. atque opt. tam graviter inter se discrepent, ut propriam primamque vim servet uterque modus. Atque cum fieri certe non possit, ut scriptores, ubicunque usi sunt hac modorum mutatione, neglegentiae arguamus, dicendum est utrumque modum pro-

priam suam atque innatam vim retinere. Quod cum ex aliis scriptoribus probari longum sit, tantum moneam a Widmanno optime esse demonstratum exemplis Thucydideis [1]) (l. c. p. 78 sqq.). — Ergo si meminerimus eorum, quae fusius supra de conj. et de opt. disputavi, statuendum erit, ut breviter complectar, fere hoc: *conj.* indicat *consilium aliquod esse gravissimum*, quod fidenter ejus eventus exspectatur; majore cum vi profertur; *optativus*, quod cogitata tantum profert, *res exprimit minoris pretii.*

At nos ipsi jam cap. I, §. 2 questi sumus nonnunquam cur hic conj., illic optat. legeretur causam non intelligi. Sane! causam non apparere puto in Eur. Suppl. 205—210; cf. supra p. 24. Ex mea vero sententia hic locus omnino segregandus est a ceteris, qui similem praebent structuram. Nam periodus est nimis longa, atque nisi fallor facile potest excusari poëtam in fine enuntiati oblitum esse, quem modum primum posuerit; finitur periodus per optat. or. obl. **πένοιτο,** fortasse ea de re etiam paulo ante posuit optativum **ἔχοιμεν,** quamquam conj. aeque bene ferri potest. Certe Widmannus haud ita laudandus est, qui hunc unum locum ex Euripide attulit, quo mutationem istam modorum consulto institutam esse appareret. — Ceteris locis, ubi mutantur modi, causa facile potest intellegi. cf. Hec. 1138 sqq.:

*ἔδεισα μὴ σοὶ πολέμιος λειφθεὶς ὁ παῖς*
*Τροίαν ἀθροίσῃ καὶ ξυνοικίσῃ πάλιν*
*γνόντες δ' Ἀχαιοὶ ζῶντα Πριαμιδῶν τινα*
*Φρυγῶν ἐς αἶαν αὖθις ἄρειαν στόλον, κτλ.*

Conjunctivo exprimit Polymestor, quam valde timuisset, ne Polydorus Trojam restitueret; hunc summum ei timorem fuisse, maxima cum vi profertur (cf. p. 31). Optat. vero qui sequitur **ἄρειαν** indicat Polymestorem eam rem non tam acriter timuisse, sed cogitavisse tantum de tali eventu. Itaque cum, num re vera bellum renovetur, rationem non habeat, sed suspicetur tantum fieri posse, ut alterum existat bellum, optativo utitur. Nos: ich fürchtete: er wird Troja wieder aufbauen, und dann würden die Griechen vielleicht nochmals

---

1) cf. Kuehner §. 553, 6. Aken p. 104.

hinziehen müssen. cf. Pflugk ad h. l. Baeuml. p. 276, qui in universum recte judicat. — Res eadem est in Andr. 990 sqq.:

*ἀλλ' ὡς τάχιστα τῶνδε μ' ἔκπεμψον δόμων*
*μὴ φθῇ με προσβὰς δῶμα καὶ μολὼν πόσις,*
*οἴκους τε τούσδε μ' ἐξερημοῦσαν μαθὼν*
*Πηλεὺς μετέλθοι πωλικοῖς διώγμασιν.*

*μετέλθοι* habent codd. ABCE, solus D: *μετέλθῃ*, quod Nauckius et Pflugkius receperunt. Haud ita recte, ut equidem judico; res enim haec est: Dicit Hermiona: „quam celerrime relinquamus hunc locum, ne maritus me deprehendat (i. e. firmum Herm. habet consilium maritum vitandi; certe sperat hoc consilium expletum iri, si quam celerrime exierit e domo; conj.) neve Peleus *fortasse* me insectetur, (opt., nam num omnino eam insectetur Peleus haud ita fidenter exspectari potest; conjecturam quasi facit Peleum fortasse, si profectionis Hermionae certior factus esset, cogitaturum esse de persecutione). Circumscribendum fere est: „so schnell wie möglich bringe mich von diesem orte fort, denn es *soll mich keinenfalls* mein gemahl treffen, wenn er in das haus zurückkehrt, und Peleus soll mich nicht verfolgen, *wenn er möglicherweise es thun wollte*". Videmus etiam hic rem graviorem exprimi per conj.; quod minoris momenti est neque ita certe potest proferri, per opt. indicari.

Restat El. 56 sqq., qui locus saepissime tentatus, nondum sanatus videtur:

*ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ,*
55 *ἐν ᾗ τόδ' ἄγγος τῷδ' ἐφεδρεῦον κάρᾳ*
*φέρουσα πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι,*
*οὐ δή τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη,*
*ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς,*
59 *γόους τ' ἀφίην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί.*

*ἀφίην* cum ferri nullo modo possit, Reiske conjecit *ἀφίημ'*, qui quidem indicativus conjungendus est cum *μετέρχομαι*; sed ne ita scribamus vetat sensus, cum nondum pronuntiet querelas Electra; neque constructio potest tolerari. — Portus scribi vult *ἀφείην* atque haec conjectura maxime placeret, dummodo cur primum conj. (*δείξωμεν*), tum optat (*ἀφείην*)

exstet post idem verbum, satis posset explicari. Sed, nisi fallor, explicari non potest. Tentavit quidem interpretationem Proskius l. c. p. 19, sed mihi non persuasit. Quid enim? etsi concedo alterum Electrae consilium, sc. ut diis Aegisthi superbiam ostenderet, „aquationis labore jam impleri“, tamen qua causa commotus est poëta, ut hoc ipsum Electrae consilium adeo efferret (per conj.), alterum consilium (sc. ut querelas proferret de patris nece) tanquam leve exprimeret per opt., cum paulo post Electram id potissimum agentem videamus, ut patrem lugeat? Hoc nostro igitur loco causam idoneam frustra quaeremus, qua explicetur modorum variatio. — Quid igitur statuamus? Rectam viam demonstrasse videtur Weilius ad h. l., qui *οὐ δή τι χρείας* — *ἀφιγμένη* omnino ferri non posse probat, nam „si Electre descendait sans nécessité à ces travaux serviles, si elle avait les moyens de nourrir une esclave, comment pourrait-elle espérer de tromper les dieux par une vaine comédie?“ Assentior sine ulla dubitatione; El. re vera est **ἀφιγμένη εἰς τοσόνδε χρείας.** Atque cum iterum iterumque perpensitarem et corruptum esse verbum *ἀφίην* et sententiam negativam (**οὐκ** . . *ἀφιγμ.*) ferri non posse, potius delendam esse negationem, suspicio mihi orta est, *vss. 58 et 59 esse spurios.* Nam ne dicam particulam adversativam, quae est *ἀλλὰ* locum omnino habere non posse, nisi praecedit negatio aliqua; quid? quod dicit Electra se Aegisthi *ὕβριν* demonstrare velle diis, tum statim pergit: se enim a *matre* pulsam esse? (*ἣ γὰρ πανώλης Τυνδ.*) Particula quae est *γὰρ* certe sensum non praebet, si leguntur vss. 58 et 59 [1]). Contra, nisi fallor, secundum sensum erit simplicissimum, si cur et per quem ad istam miseriam venerit, statim adicitur. Quare sic scribi velim:

. . *πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι,*
57 *νῦν δῆτα χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη.*
60 *ἣ γὰρ πανώλης Τυνδαρὶς . . κτλ.*

---

1) Idem etiam cadit in Weilii quam proposuit conjecturam; legi enim vult: *οὐ δή τι, χρείας . . . ἀφιγμένη* | *ἄλλως ὕβριν δείξαιμ' ἂν Αἰγ. θεοῖς* | *γόους τ' ἀφείην αἰθέρ'* etc. Verba non quadrant in nexum; nam tum *γὰρ* (vs. 60) referendum est ad vs. 57; non, id quod opus est, ad ea quae proxime antecedunt (vs. 59).

## Caput III.

## De conjunctivo et optativo cum ἄν conjuncto.

Pervenimus ad voculam quae est ἄν, quam saepius addi particulis finalibus ὡς et ὅπως satis notum est. Sed mirum quantum de hoc vocabulo explicando dissentiunt homines docti. Quae enim prima propriaque ejus est significatio? Atque Godofr. Hermannus cum per ἄν et κέν significari „fortuita“, i. e. „quae ex aliqua condicione penderent“ docuisset[1]), plerique dicere solent ἄν notam esse „condicionis“. Quae quidem definitio nimis vaga videtur. Neque Hermannus ipse satis accuratam de hac re sibi statuisse videtur sententiam, quod jubet: si condicio, ad quam referendum esset ἄν, non distincte esset addita, — atque plerumque *non* additur — tamen condicionem istam cogitando addendam esse. (p. 6). Contra quod jure meritoque disputavit Baeumlinius[2]); sed quod ipse profert (p. 83): ἄν significare „die setzung einer handlung als einer wirklichen“, quid sibi vult? non magis placebit, quam Delbrueckii novissima definitio[3]): „ἄν weist auf das eintreten der handlung hin“. — Attamen cum longum sit omnium hominum dd., qui de ea re scripserunt, afferre sententias statim profitebor me plane assentiri Langio[4]), qui satis probabile de hac re protulit judicium. Rectissime enim dixerat Hermannus: „ἄν referendum esse ad condicionem“, addendum autem est secundum Langium (p. 52), qui hac una re gravissima dissentit ab Hermanno: „condicionem istam, quam continet particula ἄν, omnino esse *indefinitam, nihilo vero minus realem*“, i. e. si utor particula ἄν, cogito de condicione aliqua; ipse autem ad quamnam condicionem sit referenda non certe scio; exstat igitur incerta haec condicio in maximo illo numero condicionum, quae cogitari omnino possunt. Germanica lingua optime respondere voculam „allenfalls“ censet Langius, quam ita circum-

---

1) Hermann, de part. ἄν, ll. IV. p. 10.
2) Baeumlein, untersuchungen etc. p. 52.
3) Delbrueck, conj. und opt. im skr. u. gr. p. 86.
4) Lange, in Ztschr. für die oestr. gymnas. 1858, p. 48 sqq.

scribit: „in irgend einem und zwar wirklichem, objectivem falle unter allen denkbaren fällen". Quadrant etiam formulae hae: nach gelegenheit, unter umständen; nec abhorret, si recte intellexerimus, id quod Hermannus voluit: etwa; — variae, sicut nexus postulat locorum, statui possunt circumscriptiones. — Negari quidem non potest si veram particulae ἄν effigiem animo concipere volumus ante omnia spectandas esse enuntiationes conditionales. Attamen cum id plane abhorreat a nostro proposito atque haec quaestio jam funditus absoluta sit per Langium, statim vertamus ad en. finalia.

Itaque s. ἄν conjunctivo finali additur indicat exspectationem nostram, quam habemus de perficienda re pendere e condicione aliqua (quae distincte adiciatur opus non est). Ergo e conjunctivi propria vi aliquid demi particula ἄν unusquisque satis intelleget [1]). Contra optativi propria significatio particula ἄν apposita aliquo modo augetur. Solus enim optat. significat tantum cogitata, etiam ea quae omnino vera fieri nullo modo possunt (cf. vota!); si ἄν apponitur, quod infertur condicio, qua impleta etiam actio perfici potest, ratio aliqua habetur perficiendae rei; multo igitur fortius rem exprimit, quam solus optat. Neque obstat quidquam, quin grammaticorum doctrina: optativo exprimi „die möglichkeit", quam per se falsam esse monuimus, (cf. supra p. 6) ita utamur, ut recte eam dictam esse statuamus de opt. c. ἄν [2]). — Sed ne diversa misceamus, primum dicamus:

## §. 1.
## *De conjuctivo c. ἄν conjuncto.*

Si quidem, quae modo protuli, recte disputata sunt, id sine dubio concedendum est discrimen aliquod interesse inter conj. nudum et conj. cui additum est ἄν. Quod etiam optime intelligitur e Plat. Gorg. 481 A, quem locum post Akenium (l. c. p. 108) iterum tractavit Widmannus in dissertat. suae p. 57. — cf. etiam Xen. Cyrop. I, 3: καὶ μὲν δή . . ὡς ἄν

1) cf. Hermann de part ἄν p. 95.

1) Intelligere omnino non possum, quid sibi velit Baeumlein p. 54 extr., dicens: „durch den opt. c. ἄν wird die aussage ganz unbestimmt und schwebend"?

*ἵλεῳ οἱ θεοὶ ὄντες συμβουλεύειν ἐθέλωσιν, ὅσον δύναμαι κατὰ τὸν σὸν λόγον διατελῶ ἐπιμελούμενος.* Particulae quae est *μέν* non respondet *δέ*, ideo Breitenbach recte adnotat: „bei *μέν* schwebt der gegensatz vor: ob es mir aber gelingt u. s. w.“ Sane, atque idem etiam inest in *ὡς ἄν* c. conj.; dicit enim Cyrus se quam maxime operam dare, ut, si res bene caderent (allenfalls, wenn es gut geht = *ἄν*) deos sibi redderet propitios. Conj. solus tolerari omnino non potest; is enim significaret: ich thue nach allen kräften nach deiner anweisung, (und meine feste absicht ist dabei), die götter *sollen* uns gnädig beistehen. Hoc autem actionis consequens non ita fidenter exspectari posse jam demonstrat particula *μέν*; ergo secundum sensum fieri non potest quin addatur conjunctivo *ἄν* particula. — Quid igitur sibi vult Matthiaeus? qui tali discrimine omnino negato adeo desperat de particula *ἄν*, ut dicat: „daher kann man wol eine erklärung der partikel *ἄν*, wo sie steht, versuchen, aber nicht bestimmen, wo sie stehen oder wegfallen müsse“ (gr. gr. II, p. 1193)? Equidem potius, cum infra luculentius demonstraturus sim Matthiaeum in omnibus omnino locis, quibus invenitur *ἄν*, explicandis graviter erravisse, hanc statui velim regulam:

> „Consilium aliquod si magna certaque proferri potest cum fiducia, conj. finalis nudus est ponendus, *ἄν* etsi exstat in libris est delendum; contra si secundum totum nexum eventus consilii minus certe potest exspectari, si tota res est incerta atque dubia, fieri non potest, quin *ἄν* ponatur, nisi forte scriptor per circumscriptionem aliquam exprimere mavult hanc incertitudinem“.

Atque optimum quo haec res probetur, inveni exemplum in Heracl. 336:

> *κἀγὼ μὲν ἀστῶν σύλλογον ποιήσομαι,*
> *τάξω δ' ὅπως ἂν τὸν Μυκηναίων στρατὸν*
> *πολλῇ δέχωμαι χειρί.*

Nam si *πολλῇ χειρί* non exstaret, simplex conj. justam praeberet explicationem: *τάξω δ' ὅπως δέχωμαι* = cives colligam atque in ordines distribuam, nam spero sic me hostibus obviam ire posse. Elucet si collegerit cives, etiam fieri posse, ut proficiscatur. Quod vero *πολλῇ χειρί* additur, necessarium

quoque est ἄν. Fac enim cogites verba sic exstare: τάξω δ' ὅπως πολλῇ χειρὶ δέχωμαι, tum magna cum fiducia diceret Demophon: „colligam cives, ut magna cum manu hostibus obviam eam". Ipse autem nescit, num omnino *multi* cives conveniant, num πολλὴ χείρ colligatur; ergo si de δέχεσθαι πολλῇ χειρί loquitur, condicionis atque quasi dubitationis nota adjicienda est ἄν.

Attamen ut hac in re satis caute atque accurate agamus, postulat nisi fallor haec linguae graecae proprietas: apud sermonis enim pedestris scriptores non ita saepe invenitur ἄν in enuntiatis finalibus. Neque id mirandum est, cum in oratione prosaria praevaleat ἵνα, quam particulam nunquam, si finalem praebet sensum, conjungi c. ἄν satis notum est (cf. infra). Ἄν nisi apud ὡς et ὅπως (ὄφρα) non invenitur. Exempla igitur potissimum petenda sunt e poëtis et epicis et tragicis. Atque quod attinet ad tragicos longe maximum finalium exemplorum numerum praebet Euripides. (Aeschylus sedecies, Sophocles octies habet ὡς ἄν et ὅπως ἄν, Euripides duodequadragies). Itaque nonne facillime usu fieri potest, — id quod etiam aliis in rebus observatur — ut, cum maxime delectetur hac particula Euripides, nonnumquam ea utatur, etiamsi propria ejus significatio nullo modo locum habet? — Accedit porro, quod in perlegenda fabula Aristophanea quae inscribitur Ranae satis notabile mihi visum est, quod Euripides, cum verba facere incipiat (inprimis inde a vs. 907), iterum iterumque usurpat particulam ἄν, quae quomodo unoquoque loco quadret in sensum, frustra quaeres [1]). [cf. vs. 911. 914 sq. (bis!) 920. 924. 926. 946. 948. 950(!) 960. 961; tum rarius]. Deridet igitur Aristophanes sine dubio praeter garrulitatem Euripidis atque magniloquentiam etiam id, quod nimis saepe usus esset voculis talibus atque particulis, qualis est ἄν. Atque profecto! ne dicam omnino nec de formulis quibus constanter utitur, ut λέγοιμ' ἂν ἤδη pro λέξω (cf. Suppl. 465. 570. Hipp. 336. Or. 640. Iph. T. 811. 939. El. 300. 1060), nec de ἄν in uno eodemque enun-

1) Simile quid vidit Proskius monodiam respiciens in ran. 1325 sqq.; sed non recte fecisse videtur, nam in monodiis Euripideis fere nunquam exstat ἄν.

tiato repetito, (cf. Or. 711 sq. Matthiae §. 600. Kuehner II, p. 212 sq.) quid? quod in una fabula (Or.) quinquagies semel invenitur ἄν? — Ergo quod dubitari potest, num tanta exemplorum in copia unoquoque loco prima servata sit particulae vis, maxima opus esse videtur cautione. Atque ea de re quaestionem ita instituendam esse judico, ut primum eligantur loci ubi ἄν propria significatione servata secundum nexum bene se habet, tum ceteris exemplis accurate perlustratis legem aliquam quaeramus, secundum quam Euripides usus sit particula ἄν, etsi prima ejus significatio primo quidem obtutu statui non posse videtur. — Id tantum addam XXIX inveniri locos, ubi exstat ὡς ἄν, IX ubi ὅπως ἄν legitur. Quod vero discrimen nullum interest inter utramque particulam, unam ab altera segregari supervacaneum putavi. Statim igitur enumeremus ea exempla ubi:

1. *sensus postulat, ut conjunctivo addatur ἄν*, vel potius ubi ἄν ex propria sua significatione bene potest explicari. — Atque si meminerimus eorum, quae supra fusius e Langii commentariolo protuli, dicendum est graviter erravisse his in locis explicandis eos homines grammaticos, qui enuntiatum quaesiverunt condicionale, quod vel distincte appositum esset, vel lateret in aliquo totius periodi verbo, quo enuntiato condicionali interpretarentur particulam ἄν. Sic enim praeter Hermannum, qui ἄν facillime posse explicari dixerat, si enuntiatum condicionale, ad quod referendum est ἄν, esset appositum, etiam Kuehnerus (II, p. 169 vorbemerkung) videtur judicasse: „ἄν weist immer auf einen (entweder wirklich gesetzten oder zu ergänzenden) bedingenden gedanken hin". Quod si recte dixissent maxime esset mirandum, quod v. c. El. 97, quamquam enuntiatio condicionalis εἴ τίς με γνοίη distincte apposita est, tamen finalis particula sine ἄν legitur: vel quod Jon 388 codd. non ὡς ἄν praebent, sed simplicem particulam ὡς! — Quid vero de iis dicamus qui condicionem istam, ad quam referendum est ἄν, construi volebant ex enuntiato primario, quod praecedit? ut Matthiae (II, p. 1192) v. c. Bacch. 509: καθείρξατ' αὐτὸν ἱππικαῖς πέλας φάτναισιν, ὡς ἂν σκότιον εἰσορᾷ κνέφας, ita fere explicat: ut tenebras videat, sc. ἐὰν καθειρχθῇ, si vinctus

erit [1]). Opinor talem explicationem quadrare in omnia enuntiata finalia, etiamsi non praebent particulam ἄν. Nam si λέγω ὡς ἂν μάθῃς verto: dico, ut, *si dixero*, scias, plane eodem modo vertere possum: λέγω ὡς μάθῃς, non addito ἄν. Certe priusquam equidem non *dixi*, ille *scire* non potest! Ergo talis explicandi ratio fere nihili est aestimanda. — Attamen cum saepissime hujusmodi res prolatae sint, idoneum esse videtur:

a) eos locos enumerari, ubi *condicionalis sententia aut distincte apposita est* aut *latere videtur in participio aliquo*, ut accurate demonstrem ad condicionales istas sententias omnino non respicere particulam ἄν. — Plena enuntiatio condic. non exstat nisi uno loco Hel. 742:

κεἰ τήνδε πως δυναίμεθ' ἐκκλέψαι χθονός,
φρουρεῖν ὅπως ἂν εἰς ἓν ἐλθόντες τύχης
ἐκ βαρβάρων σωθῶμεν, ἢν δυνώμεθα.

Ac primum quidem quaeramus quomodo ὅπως ἄν differat ab ὅπως simplici. Menelaus igitur, si exstaret ὅπως σωθῶμεν (sine ἄν), exprimeret certam suam exspectationem omnes servatum iri, dummodo animum intenderent. Atqui valde dubium est atque incertum, num re vera serventur: salus omnium, etiamsi semper cavebunt animumque intendent, tamen pendet e casibus fortuitis, e condicionibus quibusdam, quas antea nemo potest scire. Ergo ἄν ponendum esse elucet. — Attamen ne credamus condicionem istam, ad quam referendum est ἄν, expressam esse in enuntiato illo: ἢν δυνώμεθα, (nam plerumque ad ἄν addi constat: „si fieri potest, si possumus," sim.) apponam interpretationem germanicam: damit wir allenfalls (sc. in irgend einem aller möglichen und denkbaren fälle, ἄν) uns retten, wenn wir es nämlich (sc. in diesem irgend möglichen falle) können. — Spectat igitur ἄν ad occasionem aliquam, quam nec qualis sit nec quando eventura sit, ipse Menelaus potest indicare; sperat fore ut hac occasione (ἄν), si tum res bene cadant, (ἢν δυνώμεθα) ipse sociique serventur.

cf. Hel. 1182: . . κἀκκομίζεθ' ἅρματα, ὡς ἂν πόνου γ'

---

1) Quam interpretationem probat Kuehner II, p. 900.

ἕκατι μὴ λάθῃ με γῆς τῆσδ' ἐκκομισθεῖσ' ἄλοχος. Hoc loco maxime cavendum est, ne condicionem, ad quam referatur ἄν, quaeramus in verbis πόνου δ' ἕκατι: „damit sie nicht entkomme, wenn es dabei nur auf die mühe ankommt." — ἄν vero rectissime se habet quod valde incertum est, num per simplex ἐκκομίζειν ἅρματα Helena e fuga repetatur. Si persuasum haberet Theoclymenus consilium suum, quod habet, in persecutione vere perfici, conj. simplici uti posset, qui certam eventus exprimit exspectationem (ἐκκομ. ἅρματα, ὡς μὴ λάθῃ = bringt mir nur die wagen, dann soll sie schon nicht entkommen). Quod peccat contra sensum; nam cum tantum fortuito aliquo casu fieri possit, ut feminam recuperet, ἄν ponendum est. — Quid vero Matthiaeus? Sic explicat: efferte curricula, ut *si elata sunt* (ἄν) Helena fuga impediatur. Hercle! tali si utimur interpretatione, concedendum quidem est Matthiaeo discrimen omnino nullum interesse inter ὡς vel ὅπως et ὡς ἄν v. ὅπως ἄν!

Rhes. 73: ἀλλ' ὡς τάχιστα χρὴ παραγγέλλειν στρατῷ
τεύχη πρόχειρα λαμβάνειν λῆξαι θ' ὕπνου,
ὡς ἄν τις αὐτῶν καὶ νεῶν θρώσκων ἔπι
νῶτον χαραχθεὶς κλίμακας ῥάνῃ φόνῳ.

Si arma capiunt non statim sequitur, ut hostes detrudant de scalis; id si fidenter posset exspectari, simplex conj. poni posset. Quod vero e casibus atque condicionibus pendet victoria, ἄν recte se habet. Atqui casus atque condiciones plane incertae sunt neque quidquam de iis potest affirmari. Ergo ridiculum fere est condiciones, quibuscum cohaereat istud ῥανῆναι, evolvere e participio χαραχθεὶς νώτῳ.

cf. Hipp. 111; cave ne ἄν referas ad participia quae sunt ζεύξας vel κορεσθείς; verte fere: damit ich nachher, wenn ich einmal zeit und lust habe (ἄν) etc.

Atque cum satis videar demonstrasse plerumque ἄν non respicere enuntiatum vel participium condicionale, quod appositum est, de ceteris locis, qui similes sunt, nihil addendum esse puto. Cf. igitur Herc. f. 838. Hel. 893. Tr. 1263. Bacch. 536.

b) ubi *enuntiatum condicionale non appositum est.* Tum omnes fere consentiunt condicionem esse addendam; quod

quomodo recte instituendum sit supra jam probavi. cf. igitur Heracl. 336 (p. 47 extr.)

Or. 1562: προσπόλοις λέγω | ὠθεῖν πύλας τάσδ', ὡς ἂν ἀλλὰ παῖδ' ἐμὴν

ῥυσώμεθ' ἀνδρῶν ἐκ χερῶν μιαιφόνων.

Si conj. simplex exstaret sensus esset: recludite januam, ut filiam servem, i. e. recludite, nam sic spero me consilium meum assecuturum esse, sc. ut, si aperta est janua, filiam certe servem. — At non inest salus filiae in sola recludenda janua; quare ἄν additur, ut sensus evadat: recludite januam, ut si e rerum condicione fieri potest (ἄν), si casus aliquis offertur servandi, servem filiam. — Et sic deinceps Or. 1099, Iph. Aul. 539, Rh. 878, quibus locis utrum relativo an finali sensu usurpatum sit ὅπως ambigi potest. —

Med. 938: παῖδες δ' ὅπως ἂν ἐκτραφῶσι σῇ χερί,

αἰτοῦ Κρέοντα τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα.

Si infantes Thebis non eicientur, consequens est ut remaneant in patria. Num vero etiam Jason eos educaturus sit, valde dubium est; ea de causa exstat ἄν. —

Alc. 779: δεῦρ' ἔλθ' ὅπως ἂν καὶ σοφώτερος γένῃ; nos ad sensum: komm hierher; ich will einmal probiren (ἄν), ob ich dich vernünftiger machen kann. cf. eodem modo Jon 77. Phoen. 753 (ὅπως ἂν μή). Herc. f. 725. Cycl. 155. Iph. A. 618. — Restat Hec. 330:

οἱ βάρβαροι δὲ μήτε τοὺς φίλους φίλους
ἡγεῖσθε μήτε τοὺς καλῶς τεθνηκότας
θαυμάζεθ', ὡς ἂν ἡ μὲν Ἑλλὰς εὐτυχῇ etc.

Scholiasta jam recte monet verba ἡγεῖσθε et θαυμάζετε imperativos esse, non indicativos. Quod sensus haud ita perspicuus est, liceat circumscribi: „nos viros nobiles atque fortes, etiamsi dudum mortui sunt, honoribus afficimus; vos vero barbari, — age amicos nec vivos nec mortuos colite, ut (si quando fiat ut decernatur, v. c. a diis uter populus felix uter infelix sit, ἄν) nos sortiamus felicitatem. Godofr. Hermannus ὡς ἄν vertit „dummodo“: Quadrat quidem in sensum, sed quoad scio nunquam ὡς ἄν hanc habet significationem.

His locis equidem etiam adnumerem Alc. 740:

ἡμεῖς μὲν, τοὐν ποσὶν γὰρ οἰστέον κακὸν,
στείχωμεν, ὡς ἂν ἐν πυρᾷ θῶμεν νεκρόν.

Antea jam bis tentaverat Admetus uxorem efferre, per Herculem vero atque Pheretem prohibitus erat. Particulae igitur ἂν sensus hoc loco fortasse hic est: „eamus, ut, si quidem nunc fieri potest neque iterum impedimur per alios homines, mortuam sepeliamus.“

Tr. 1052 vero: ὅπως ἂν ἐκβῇ τῶν ἐρωμένων ὁ νοῦς sententia finalis non est. Verte: „wie auch immer der sinn des geliebten Wesens sich wenden mag?“ Continuantur igitur hoc versu verba Hecubae, quae modo locuta est (1051); ut sententia evadat melior signum interrogationis ponendum est.

2. ἂν *secundum propriam suam vim in sensum non quadrat,* supervacaneum videtur esse; i. e. invenitur ἂν apud conj. finalem, etsi certissime exspectari potest eventus consilii nec minime cogitandum est de condicione aliqua, e qua pendeat consilii perfectio. Atque omnibus qui huc spectant locis perquisitis hunc statui posse censeo usum Euripideum:

a. Constat si ἂν additur conjunctivo, e conj. vi plerumque aliquid demi (cf. p. 46). Itaque si rem aliquam, cujus eventum certe exspectari posse notum est, ita narrando profero, ut inseram condicionis notam ἂν, i. e. si fingo condicionem, quae re vera in consilio tam firmo non est, satis elucet me quodammodo *consulto* minuere velle fiduciam illam, quam jure meritoque possum habere. Rem eandem esse atque apud optativum c. ἂν, qui ponitur pro indicativo praes. vel futuri in enunt. liberis, pluribus exponere supervacaneum est. Nos tale quid nominare solemus secundum grammaticos „*bescheidener ausdruck*“. — Atque id quadrat etiam in multos locos, ubi particulae ὡς ἂν vel ὅπως ἂν non e propria sua significatione explicari posse videntur; tum ἂν in universum usurpatur, ut *vis sermonis minuatur sententiaque fiat paulo modestior.* Optime id intellegetur, si comparaverimus duos locos e Phoenissis sumptos; vs. 997 Menoeceus dicit: ὡς οὖν ἂν εἰδῆτ', εἶμι καὶ σώσω πόλιν etc. Apparet, si dicit Men. se iturum esse ad servandam urbem, feminas scire quid velit; nam quanam e condicione pendere potest, ut intellegant feminae rem tam simplicissimam? Quod tamen ἂν exstat, di-

cendum est nihil nisi vim sermonis debilitari; minuitur jactatio, quae inest in verbis talibus: ὡς εἰδῆτ' εἶμι etc. (omisso ἄν) = scite, ego servabo urbem! nam ὡς ἂν εἰδ. fere reddendum est latine: „sciatis, si placet, me servaturum esse.“ — Contra Phoen. 1656 dicit Creon: ἄταφος ὅδ' ἀνὴρ, ὡς μάθῃς, γενήσεται; graviter atque severe dicta sunt verba = unter jeder bedingung bleibt der da unbestattet!

Saepissime Euripides particula ἄν usus est ad sententiam modestiorem proferendam in enuntiatis istis intercalatis: ὡς ἂν εἰδῇς, ὡς ἂν μάθῃς, sim., de quibus saepius jam egi.

cf. Hel. 1522: (ναυκληρία αὐτοὺς ἀπῆρεν),
ἥν γε ξένῳ δίδως σὺ τούς τε σοὺς ἔχων
ναύτας βέβηκεν, ὡς ἂν ἐν βραχεῖ μάθῃς.

Condicio omnino inveniri non potest, per quam demum fiat, ut rex intellegat; nam si dicit nuntius iis navibus effugisse Helenam, quas ipse rex ei dedisset, statim necessario sequitur, ut rex id audiat sciatque. Nuntius igitur magna cum fiducia exspectare potest consilium suum, quod in dicendo habet (sc. ut rex intellegat), expletum iri. Tamen cum ἄν appositum sit, quod ita fere vertere possumus: damit du allenfalls einsehen mögest, apparet nuntium ea de causa tantum adicere hanc particulam, ut vim verborum minuat, neve, si distinctius atque gravius rem narret, nimis magnam regis excitet iram. Nos circumscribere possumus ὡς μάθῃς: es ist die ναυκληρία, die du ihnen gabst, nun weisst du's!, quod quidem multo fortius dictum est, quam ὡς ἂν μάθῃς = die ναυκλ. ist es etc., — nun könntest du es wol wissen!

Conferas cum hoc loco Andr. 1073, ubi nuntius, cum vix scenam ingressus est, brevissime atque crudeli fere modo per simpl. conj. atrocissimas profert res. — cf. Phoen. 997 (p. 53). — Iph. Aul. 1426 (qui vs. certe spurius est). — Iph. Taur. 1067:

σωθεῖσα δ' ὡς ἂν καὶ σὺ κοινωνῇς τύχης
σώσω σ' ἐς Ἑλλάδ'.

Si servatae sunt mulieres, participes sunt fortunae, qua fruitur Iphigenia. ἄν talem commendat versionem: ich werde dich retten, und dann dürftest du auch wol im stande sein, theil zu nehmen an unserm glücklichen geschick. Modeste igitur

loquitur Iphigenia, ut jactationis opprobrium evitet. — cf. Hipp. 286. Hel. 1411:

> ὅστις δὲ δώσει ναῦν, ἐν ᾗ τάδ' ἄξομεν,
> πρόσταξον, ὡς ἂν τὴν χάριν πλήρη λάβω.

Si rex navem dat, χάρις est πλήρης; ἂν igitur justam condicionem non respicit. Verte: denn ich *möchte* so gern deine gnade voll empfangen. Solus conj. (denn ich will so . . empfangen), magis postulantis est, quam petentis. cf. locum qui plane contrarius est Hec. 550, ubi magna cum ostentatione Polyxena firmum certumque suum profert consilium. (simpl. conj.). — Res eadem est in Phoen. 92. Cycl. 634.

b. Nonnullis autem locis ἂν non infringit vim orationis, sed potius eam *auget amplificatque.* Quod ita fieri potest. Si aliquam rem certo eventum habituram esse possum exspectare, atque tamen de ea ita verba facio, quasi pendeat e condicione, aut modestiae causa facio (cf. supra), aut cum ambagibus utar, quae supervacaneae sunt, rem describo gravius atque amplius, quam re vera se habet; plura facio verba, quam quae omnino fieri oportet, *major igitur orationi tribuitur gravitas.* — Atque simile quid nonnunquam observari posse puto in enuntiatis condicionalibus, quae inducuntur per εἰ. Proprie enim haec enuntiata restringunt orationem; tamen fieri posse, ut iis ipsis augeatur vis sermonis, doceat praeter Herc. f. 140 sqq. etiam Tr. 356: εἰ γὰρ ἔστι Λοξίας Ἑλένης γαμεῖ με δυσχερέστερον γάμον . . . Ἀγαμέμνων. Quid enim sibi vult enuntiatio condic. εἰ γὰρ etc.? Tantum, nisi fallor, abest, ut rem reddat infirmam incertamque, ut verbis majus tribuat pondus; nos: so wahr Loxias lebt! — cf. etiam Or. 521: σὴν ἄλοχον οὔποτ' αἰνέσω οὐδ' ἂν προσείποιμι.

Atque in enunt. fin. sic ἂν apud Euripidem invenitur his locis:

> Rhes. 420: ταῦθ', ὡς ἂν εἰδῇς Ἕκτορ' ὄντ' ἐλεύθερον,
> καὶ μέμφομαί σοι καὶ λέγω κατ' ὄμμα σόν.

Si nexum respicimus, de condicione, e qua pendeat istud εἰδέναι, cogitari omnino non potest. Tamen si additum invenimus ἂν aut modeste loquentis esse potest aut orationem reddit graviorem fortioremque. Hoc nostro autem loco modestiae notam esse non posse jam demonstrat totius orationis

tenor colorque, quippe quae acerbissima contineat verba summaque cum ira proferatur, neque ipsum verbum μέμφομαι tali explicationi favere videtur. — Ergo restat altera interpretandi ratio. Atque quantopere augeantur verba per particulam ἄν, ut fere ad summam accedant ironiam, doceat haec versio: publice vituperatione te afficio, ut, si quidem vis, agnoscas Hectorem liberum esse = und diesen tadel schleudere ich dir frei in's gesicht, damit du, wenn es dir überhaupt möglich sein sollte (ἄν), meine unabhängigkeit erkennst!

[Addam Euripidem in sententiis talibus intercalatis, quibus valde delectatur, verbi εἰδέναι formas conjungere solere cum ὡς ἄν (excepto uno loco Jone 35), verbi μάνθανειν formae adsciscunt plerumque simplicem particulam ὡς (exempla invenies in c. I.)] —

cf. Rh. 473. Andr. 1254. Andr. 715: φθείρεσθε τῆσδε ὡς ἂν ἐκμάθω εἴ τίς με λύειν . . . κωλύσει. Sine dubio si Andromacham solvere tentabit Peleus clarum fiet utrum impediatur necne. Si vertimus: geht von ihr weg, dann werde ich *ja wol doch* erkennen können, ob etc., apparet quanta vis per ἄν inferatur in verba. Latet etiam in particula ἄν ironia quaedam. —

cf. Or. 534: ὡς οὖν ἂν εἰδῇς, in adhortatione = o sieh es doch ein; beherzige es doch!

Hipp. 1314: δάκνει σε Θησεῦ μῦθος; ἀλλ' ἔχ' ἥσυχος,
τοὐνθένδ' ἀκούσας ὡς ἂν οἰμώξῃς πλέον.

Kuehner gr. gr. II, p. 900 ἄν ita explicat, ut condicionalem sententiam inesse putet in ἀκούσας = „ut, si quae sequuntur audieris, magis ingemiscere possis". Quod minime ferri posse, saepius jam probavi. — Multo fortasse melius est talem addi condicionem: „tranquillus sis, ut si dolorem tibi parabunt verba mea, magis ingemiscas". Atqui per Thesei interjectionem quae praecedit, οἴμοι, jam satis intellexerat dea Theseum summo dolore affici. Ergo quod, si plura audiet, sine dubio magis ingemiscet, ἄν non potest respicere veram condicionem, sed servit tantum ad verba majore cum auctoritate proferenda. Etiam hoc loco, si vertimus: „höre nur ruhig weiter und jammere, wenn du willst,

(wenn es dir vergnügen macht) noch mehr“, cognoscitur ironia.

Tr. 86 verba sunt fortia atque gravia, quae bene quadrant ad iram deae.

Bacch. 509, quem locum minime recte explicatum esse nec a Kuehnero nec a Matthiaeo, monui p. 49 extr. Restat Bacch. 1240:

*φέρω τάδε . . τἀριστεῖα . ., ὡς ἂν κρεμασθῇ.*

Sic exstat in codd. Agave affert caput Penthei; consilium, quod in portando habet, est ut affigatur in domo. Atque quod certe exspectare potest, ut consilium suum expleatur, ἄν quod legitur nihil aliud esse potest nisi aut signum modestiae aut gravioris ampliorisque orationis. Modeste vero hoc loco Agave certe non loquitur, quod non quadrat ad superba dementiaque verba, quae antea fecit; neque placet altera explicandi ratio per ἄν augeri vim verborum. Quid enim causae est, cur hoc ipsum ita efferat Agave? Sententiarum nexus tali explicationi minime favet. Ergo ἄν ferri nullo modo potest. Quare equidem non dubito, quin Hermannum secutus scribam: ὡς ἀγκρεμασθῇ [1]). (Verbum ἀγκρεμανύναι inveni etiam in Eur. frgm. 370, 5, apud Homerum in Od. *Α*, 440).

Haec habui quae dicerem de conj. c. ἄν post particulas ὡς et ὅπως. Omnia si complectimur, id dicendum est: nec Matthiaeum nec Akenium (qui similem profert sententiam p. 110) recte judicavisse; potius id tenendum est, ubicunque ἄν legatur, justam hujus voculae e sententiarum nexu quaerendam esse interpretationem; quod si nullo modo fieri potest, ἄν delendum est.

Particula vero quae est ἵνα nunquam, si quidem finem significat, cum ἄν conjungitur. Ἵν᾽ ἄν, quod nonnullis locis exstat, pronomen esse relativum, quod locum indicat = „ubicunque“, satis notum est [2]). Et ne obstat quidem Iph. Aul. 1579:

*ἱρεὺς δὲ φάσγανον λαβὼν ἐπηύξατο,*

---

1) Hermann ad h. l. et de part. ἄν p. 123.

2) Hermann ἄν p. 131 sqq.

λαιμόν τ' ἐπεσκοπεῖθ' ἵνα πλήξειεν ἄν.

Explicandum est: „fauces inspexit, ubi ictum faceret, vel liberius: in faucibus locum quaesivit, ubi cett. Sensus vero sine dubio multo dilucidior erit, si cum Weilio scribimus: ἵν' εὖ πλήξειεν ἄν. cf. Weilii annotationem ad h. l. — Eundem sensum praebet ἵν' ἄν in Jone 315: ἅπαν θεοῦ μοι δῶμ', ἵν' ἂν λάβῃ μ' ὕπνος.

§. 2.

*De optativo cum ἄν conjuncto.*

Optativus finalis cum ἄν apud Euripidem bis tantum legitur: Iph. Aul. 171 et Iph. T. 1025; utroque loco lectio haud genuina videtur. — Ut omnino de ἄν apud opt. finalem breviter disseram, satis notum est apud scriptores atticos haud ita saepe inveniri; neque id mirandum est. Res enim praeteritae in sola mente nostra versantur, et ne consilium quidem quod olim cepimus, nisi in cogitatione, non exstat, eaque de re ponitur optativus. Quod vero consilii eventus plerumque non jam exspectatur, ne condicio quidem esse potest, e qua pendeat perfectio consilii. Itaque Proskius recte judicasse videtur, qui „ἄν apud optat. antecedente tempore praeterito omitti solere“ annotat (p. 35). cf. etiam Widmann p. 56. — Sed priusquam plura in universum disseram de hoc optat. c. ἄν locos illos duos spectemus Euripideos.

In Iph. Aul. 171 codd. praebent: ἔμολον . . ὡς ἴδοιμ' ἄν, quem locum graviter corruptum esse cognoverunt jam dudum hom. doctt.; neque dubitandum est, quin aut secundum Elmsleii conjecturam legendum sit ὡς ἐσιδοίμαν aut secundum Hermannum: ὡς κατιδοίμαν. —. Res vero aliter se habet in Iph. T. 1025:

*ΟΡ.*: τί δ', εἴ με ναῷ τῷδε κρύψειας λάθρᾳ;
*ΙΦ.*: ὡς δὴ σκότος λαβόντες ἐκσωθεῖμεν ἄν;
*ΟΡ.*: κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.

Interrogat Orestes: quid? quod in hoc templo me occultare possis? Respondet Iphig.: fortasse (optat) id agis, ut si ullo modo fieri possit (ἄν) tenebris utamur ad fugiendum? Hoc

igitur loco 1) optativus c. ἂν non pendet e justo tempore praeterito, sed ex optativo c. ἄν, qui positus est pro futuro; 2) actio ipsa quae commemoratur non praeterita est, sed in ipso isto temporis momento vel potius futuro demum tempore perficienda est. — Apparet Iphigeniam tantum continuare verba Orestis, ne stichomythia tollatur; pronuntiat consilium *Orestis*, quod habuit in occultando, ita quidem ut verba (ἐκσωθεῖμεν ἄν) afferat *e mente Orestis*; neque ἂν offendere potest. Si Orestes ipse consilium suum verbis exprimeret, dicendum ei esset: κρύπτε με, ὡς ἂν σωθῶμεν = occulta me, ut si fieri potest, servemur (ἂν nullo modo deesse potest); cum vero Iphigenia hoc Orestis consilium ex ejus mente proferat, — nam dubitans *suspicatur* tantum tale quid fratris consilium fuisse — conj. c. ἂν ei mutandus est in opt. c. ἂν [1]). Per se igitur verba bene se habent. Tamen optimum videtur, id quod Markland, Nauck, Kirchhoff jam fecerunt, vss. 1025 et 1026 eici, quod 1026 non quadrat in sensum. Rectissime Weilius: „l'argument, inquit, dont se sert Oreste (vs. 1026) est plus propre à refuter son opinion, qu'à la soutenir". Klotzii vero interpretatio, quam profert, ut vss. retinendos esse probet: „furum nox est, — et ego jussus sum furari", nihili aestimanda est, nam tum sensu carent verba quae sequuntur: τῆς δ' ἀληθ. τὸ φῶς. — Neque probari posse puto Proskii sententiam (p. 36), qui ὡς hoc loco „explicative" sumendum esse censet =", tu vero putas nos tenebris usos ab interitu servatum iri"?

Ergo ut pauca de tota hac quaestione addam, si recte perspicere volumus optativi c. ἂν conjuncti rationem, id maxime mihi quidem agendum videtur, ut 1) videamus antea, utrum exstet optat. post justum tempus praeteritum, an post modum tempusve aliquod, quod sensum omnino non habet praeteritum (v. c. opt. potential.; optat. qui exprimit votum, sim.). 2) Quodsi vero post justum temp. secund. locum habet optat. c. ἄν, id quod v. c. apud Herodotum saepius fieri constat, ita explicandum mihi videtur, ut dicamus *finem indicatum esse e mente illorum qui agunt, non narratum esse*

1) De tali mutatione cf. Hermann, de part. ἂν p. 148 sqq.

*e mente scriptoris.* Consideres quaeso unum e multis illis exemplis Herod. quae attulit Hermann ἄν p. 152, Her. IX, 22: μαθόντες τὸ γεγονὸς ἤλαυνον τοὺς ἵππους πάντες, ὡς ἄν τόν γε νεκρὸν ἀνελοίατο, — consilium ex istorum mente profertur, qui ἐλαύνουσιν ἵππους, quasi jam actionis consequens exspectarent. Res igitur fere eadem est, atque apud conj. post temp. sec. (c. I, §. 2), qui quod exspectationem exprimit, proprie post temp. praeter. locum habere non potest. — Sed haec non spectant ad nostrum propositum.

---

## Caput IV.

## De indicativo in sententiis finalibus.

### §. 1.

### *De indicativo futuri.*

Particulam quae est ὅπως in enuntiatis final. saepissime conjungi c. indic. futuri nemo est qui neget. Quaestio oritur:

1) *num etiam* ὡς *adsciscat indic. futuri?* Atque Brunckius quidem ad Soph. O. C. 1724 adnotat: ὡς „ut finale significans“ saepe construi c. ind. fut., exemplis allatis ex Euripide Alc. 74, Andr. 717. Med. 1316. Contra Elmsleius: „Fallitur Brunckius, ὡς enim et hic (O. C. 1724) et in Andr. 717 ἐπεὶ significat“, quem quidem homines grammatici fere omnes secuti sunt, causa non indicata. Accedit quod etiam interpretes tribus illis locis Euripideis aut correxerunt codd. lectionem, aut ita verba interpretati sunt, ut ὡς non jam haberet sensum finalem. Nostrum igitur est quaerere, num id recte factum sit.

Atque primum quidem, cum ὡς et ὅπως plane eandem significationem habere apud Euripidem constet (cf. p. 11), mirum potest videri ὡς non eodem modo atque ὅπως conjungi cum futuro. At res est notissima fere nunquam nec tragicos nec ceteros scriptores, qui quidem accurato student generi loquendi, tali usos esse constructione! Concedo. Sed quod tam multa novavisse Euripidem dudum monitum est, nonne fieri potuit, ut etiam hac in re ab usu ceterorum

scriptorum recederet? Accurate igitur quaeramus, qualem sibi usum Euripides statuerit in particula ὡς finali. Qua in re codicum scripturis haud ita multum tribuendum est, nam quam saepe ο et ω, ου et ω, ε et η, ει et η mutata sint a librariis pluribus exponi supervacaneum est[1]). Ergo accurate si perquirere volumus, utrum modum post particulam ὡς usurpaverit Euripides, quaestio ita instituenda videtur, ut colligamus tales conjunctivos aoristi, qui plane aliam habent formam ac futuri indicativi, quibus certe cognoscamus hanc formam re vera esse conj. aor., nec librariorum neglegentia mutatam esse ex indic. futuri. Atque talia exempla permulta possunt inveniri. cf. Hipp. 809: ἴδω, sine dubio conj. est aoristi, nam fut. indic. est ὄψομαι; 420: ἁλῶ; 296: μηνυθῇ (contra 1267: ἐλέγξω si formam tantum respicimus, possumus ambigere); Med. 461: ἐκπέσῃς. Atque sic etiam formae quales sunt: ἔλθωσι (Jon 1180), μάθωσι, θάνῃς, πέσω, τύχῃ, ἀποφθαρῶ (Tr. 518). Omnibus vero Euripidis fabulis perlustratis — non adnumero 33 locos, ubi exstat conj. praes. post ὡς — numeravi 70 fere conjunctivorum aoristi certa atque minime dubia exempla; 30 fere restant, ubi si formam tantum respicimus ambigi potest, utrum ex ind. futuri sit mutata an re vera conj. aoristi. Multo igitur major est numerus eorum locorum, ubi summa cum fiducia conjunctivum aor. post ὡς exstare probari potest. Atqui inter 30 ista exempla permulta sunt, quorum terminationes, nisi ubique librarium erravisse credideris, distincte indicant conj. aor., neque fieri potest, quin, cum ex usu linguae graecae satis noto constet et conj. aor. praevalere in enuntiatis final. et ind. futuri fere nunquam sequi particulam ὡς, omnia quoad fieri potest exempla finalia post ὡς habeantur conjunctivi aoristi. — Ergo dicendum est: Euripidem, si omnino usurpaverit futurum, rarissime eo usum esse; atque si probari potest paucos illos, ubi exstare videtur, locos aut e conjunctivis aoristi mutatos esse, aut finalem sententiam omnino non continere, jure meritoque dicendum est: Euripidem nunquam ὡς finale conjunxisse c. indic. futuri.

1) Bacch. 1203 ἴδετε omnes codd., quod ferri non potest, pro ἴδητε; Jon. 1562 unus cod. νομίζεις in enuntiato finali pro νομίζῃς.

Jam vero spectemus tria illa exempla Brunckiana.

Andr. 717: ἔπαιρε σαυτήν· ὡς ἐγὼ καίπερ τρέμων
πλεκτὰς ἱμάντων στροφίδας ἐξανήσομαι.

In omnibus editionibus recentioribus gravior invenitur interpunctio post σαυτήν, ita quidem ut ὡς non inducat enuntiatum finale, sed sententiam liberam sensumque praebeat: ἐπεὶ = nam [1]). Atque id recte fecerunt interpretes. 1) Primum enim Peleus maxime est iratus; tanto animi motu affectus est, ut toto pectore fremat senex. Quid igitur magis idoneum est, quam ut sententias proferat quam brevissimas atque abruptas? (cf. omnes qui sequuntur vss. usque ad finem orationis, qui brevissimi sunt). 2) Deinde vero vs. 719 tum demum recte potest intelligi, si finxerimus Peleum paululum intermittere orationem et post ἐξανήσομαι, ut funditus solvat vincla, et post ἔπαιρε σαυτήν, ut exsurgat Andromacha. Ergo enuntiata non connectit particula finali, sed libere sententias unam ponit juxta alteram. — Alter locus est:

Med. 1316: χαλᾶτε κλῇδας ὡς τάχιστα πρόσπολοι,
ἐκλύεθ' ἁρμούς, ὡς ἴδω διπλοῦν κακόν,
τοὺς μὲν θανόντας, τὴν δὲ τίσομαι φόνῳ.

Deteriores codd. τίσωμαι, quod Pflugk, Kirchhoff, Nauck, Prinz receperunt. Non recte fecerunt. Elmsleius enim jam recte adnotat proprie tale quid exspectari: τὴν δὲ τὴν εἰργασμένην, ut illud διπλοῦν κακὸν describatur. Quod vero pergit Elmsl.: verba sic intellegenda esse, quasi exstaret: τὴν δὲ τὴν ἀποκτείνασαν, ἣν τίσομαι δίκην, non probo neque Schenkelium sequi possum, qui hunc versum spurium judicat (Philol. anz. IV, 487). Verba, ut exstant, justis cogitandi rationibus non respondent ideoque Weilius conjecturam periclitatus est: τὴν δὲ τίσουσαν φόνον, — quod mihi non placet, nam sensus exstat nimis obscurus. Neque placet quod ipse cogitaveram: τοὺς μὲν θανόντας, πρὸς δὲ τὴν μιαίφονον; simplicissimum certe erit codicis lectionem τίσομαι ita servari ut statuamus ἀνακόλουθον (cf. Proske p. 22).

Restat Alc. 74: στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν ὡς κατάρξομαι ξίφει,

---

1) Exempla hujus usus collecta in venies apud Barthold in progr. Posen. 1869, p. 11.

sic codd. excepto Palat. 287 qui praebet *κατάρξωμαι.* Atque si usum spectas Euripideum, qui post verba eundi, movendi, sim. semper ponit conj. aor., sine dubio id recipiendum est.

Praeter hos, quos Brunckius attulit, locos notandi quoque sunt Bacch. 784, quo loco sic interpungi velim:

*. . . κέλευε πάντας ἀσπιδηφόρους*
*ἵππων τ' ἀπαντᾶν ταχυπόδων ἐπεμβάτας*
*πέλτας θ' ὅσοι πάλλουσι καὶ τόξων χερὶ*
*ψάλλουσι νευράς· ὡς ἐπιστρατεύσομεν Βάκχαισιν·* cet.

Pentheus enim rebus istis atrocibus, quas modo nuntius rettulerat, graviter commotus est, quam brevissima igitur pronuntiat enuntiata (cf. vss. 780 sq.); *ὡς* igitur hoc loco significat *ἐπεί*, ut in Andr. 718. — Neque aliter res se habet in Cycl. 243, ubi Nauckii interpunctionem sequaris. cf. Jon 814.

Ergo apud Euripidem *ὡς* nunquam construi c. ind. futuri vidimus, neque si quidem Proskio fides habenda est, (p. 20) nec Aeschylus nec Sophocles certum hujus constructionis praebent exemplum.

Quod vero attinet ad particulam quae est *ἵνα* per se patet, quod omnium particularum finalium validissima est atque gravissima, ubique fere conjungi cum ea *conj.*, qui proprius enuntiatorum finalium est modus, rarissime optativum, nunquam indic. futuri. Neque obstat Iph. A. 459:

*εἰκότως δ' ἅμ' ἕσπετο*
*θυγατρὶ νυμφεύσουσα καὶ τὰ φίλτατα*
*δώσουσ', ἵν' ἡμᾶς ὄντας εὑρήσει κακούς,*

*ἵνα* vim habet relativam = ubi. Verte: ganz natürlich folgte sie ihrer tochter zum hochzeitsfest, das liebste ihr zu geben, hierher, wo sie mich nun auf bösen gedanken ertappen wird.

2) Nunc transeamus ad *ὅπως.* Res est notissima futurum saepissime exstare in locutionibus quae sunt: *οὐκ ἔστιν ὅπως* (Med. 172), *οὐκ ἔχεις τέχνην ὅπως* (Med. 323), sim. quibus in locutionibus primam suam vim relativam servat *ὅπως* = wie. — Jam vero *ὅπως* etiam in en. fin. saepius conjungi cum ind. fut. constat. Atque cum maxime hac in re explicanda dissentiant homm. dd., ne longus sim, statim

profitear me plane sequi Kuehnerum, qui optime rem perspexit. Is enim statuit duo enuntiatorum finalium genera, quae inducuntur per ὅπως c. ind. fut. (§. 552), ita quidem, ut seorsum tractet:

a) particulam ὅπως c. ind. *post verba curandi, deliberandi, cavendi, operam dandi, efficiendi, parandi, adhortandi, imperandi.* Atque haec enuntiata rectissime Kuehnerus nominat „substantivsätze der wirkung." Enuntiatum enim quod inducitur per ὅπως objectum est ejus verbi, quod exstat in sententia primaria. Per se igitur haec verba, quae modo enumeravi, stare non possunt, sed tum demum justum praebent sensum, si adnectitur enuntiatum cum ὅπως. Ergo ὅπως c. ind. fut. nihil aliud est nisi „*objectum quod petitur a verbo enuntiati primarii,*" „es ist ein ziel, das nothwendig mit der handlung vorausgesetzt und als ihr vorausliegend gedacht wird" (Aken §. 144). Atque quod hic finis potius cohaeret cum verbo, quam cum subjecto agente, indicativus usurpatur futuri; conj. vero vel optat. ubique rem significant, quae pendet e mente personae agentis. Atque haec explicatio, quam Akenius §. 142, nisi fallor, primus proposuit, (Widmann p. 82 sqq. multis ambagibus idem disputat) nunc ab omnibus certe probabitur hominibus grammaticis. Quod enim ante Akenium prolatum est: futuro significari rem, quae certissime eventura esset, („die feste überzeugung und gewissheit des erfolges" Matthiae p. 1186, Baeuml. p. 111), satis superque refutatum est, neque ferri potest, quod permulti voluerunt, ὅπως ea de causa adsciscere futurum, quod vertendum esset per „wie." Nam id quamquam negari non potest ὅπως apud futurum maxime servavisse primam propriamque suam vim relativam (wie), quid quod etiam apud conj. et opt., si accurate facere volumus, primitus haec particulae statuenda est significatio? Quod vero usu significatio relativa paulatim mutata est in finalem, dici omnino nullo modo potest futurum ea de causa poni, quod ὅπως haberet vim relativam! — Exempla notanda sunt haec: Heracl. 420: ταῦτ᾽ οὖν ὅρα σὺ καὶ συνεξεύρισχ᾽ ὅπως αὐτοί τε σωθήσεσθε etc. ὅρα per se intelligi non potest, additur objectum ταῦτα, quod amplius exponitur per enuntiatum cum ὅπως. Ergo ὅπως σω-

θήσεσθε objectum est verbi ὅρα. — cf. Iph. T. 905. — Herc. f. 315 (pendet e verbo σκοπεῖν). Jon 372 (ἔχει πόθος). Iph. T. 1051. Med. 1101, ubi cum Brunckio scribas θρέψουσι pro θρέψωσι, quod praebent codd., praesertim cum sequatur ὁπόθεν c. ind. fut. — Neque si ita rem intellexerimus dubitabimus quin Heracl. 249 Elmsleium secuti scribamus: μὴ τρέσῃς ὅπως . . . . ἀποσπάσει pro ἀποσπάσῃ. Sed ne quis credat exempla quae supra attuli (p. 12, Iph. T. 995 et Phoen. 383, ubi sequitur ὅπως c. conj. post vb. timendi) etiam hoc loco tueri posse lectionem codicis (conjunctivum), addam: istis locis notionem timendi ita esse expressam, ut insit dubitatio aliqua atque incertitudo; conj. igitur qui sequitur, conj. est dubitativus. Quod non cadit in hunc locum, quem modo apposui. Nam verbum quod exstat μὴ τρέσῃς, cum addita sit negatio, notionem omnino non habet neque dubitandi neque, si recte intellexi, timendi, sed simpliciter significat: „mache dir doch keine (furcht-)gedanken darüber, dass vel wie du weggeschleppt werden wirst.“ Elucet enuntiatum, quod inducitur per ὅπως, supplere verba μὴ τρέσῃς objecti quasi loco. cf. etiam Proske p. 24, qui similia nonnulla affert exempla.

Atque eodem modo etiam explicandum est ὅπως c. indic. fut. post particulas adhortativas quae sunt: εἶα ἄγε sim., ad quas, ut melius rem intellegas, addas cogitando imperativos quales sunt: φρόντιζε; σκέπτου, ὅπως . . cf. Or. 1060: ἀλλ' εἶ' ὅπως . . . κατθανούμεθα sc. φροντίζωμεν. — Cycl. 630. Neque ita raro fit, ut omissa omnino particula ἄγε vel εἶα, simplex ὅπως exstet c. ind. fut.; ante quod addendum est σκόπει vel σκέπτου. Tum ὅπως c. fut. circumscriptio est imperativi aoristi. cf. Herc. Fur. 504: τοῦτον δ' ὅπως ἥδιστα διαπεράσετε sc. φροντίζετε; idem est ac: διαπεράσατε, imper. aor. (cf. Pflugk ad. h. l.). — Cycl. 595: ὅπως ἀνὴρ ἔσει sc. ὅρα v. σκόπει. — Iph. T. 321: Πυλάδη, θανούμεθ', ἀλλ' ὅπως θανούμεθα κάλλισθ' · ἕπου μοι etc. Mirandus est Proskius, qui p. 23 extr. hunc locum secundum Hermannum (de part. ἄν p. 130) ita vult interpungi, ut ὅπως pendeat ab ἕπου. Id si facimus, totius loci vim valde minuemus. Orestes quo est animi motu atque affectu quam brevissimas sententias

fortiter pronuntiat. cf. Weil ad h. l. Neque Hermannus ipse quidem in editione sua interpunctionem, quam proposuerat l. c., recepit. — Res eadem est in Bacch. 367, ubi exstat ὅπως μή.

b. Scorsum spectanda sunt — id quod Kuehner §. 553 not. 4 recte fecit — exempla ubi invenitur ὅπως c. ind. fut. in *constructionibus re vera finalibus*, i. e. post verbum aliquod sententiae primariae, quod per se jam significat actionem plane absolutam atque perfectam, cui adnectitur consilium. Atque cum conjunctivo significari exspectationem eventus supra viderimus, dicendum est hoc indicativo indicari: nos non tantum exspectare, sed jam *certo scire* aliquid futuro tempore eventurum esse. Id autem si spectamus talia particulae ὅπως exempla rarissime inveniri, assentiendum esse videtur Akenio, qui docet (§. 149) hanc constructionem exstare „nur nach verbis des befehlens oder so dass der hauptsatz als befehl sich fassen lässt". Sed ne longius de hac re verba faciam, ea de causa commoveor, quod in Euripide semel tantum talis invenitur structura: El. 836: οὐχ ὅπως παστήρια θοινασόμεσθα . . . οἴσει τις ἡμῖν κοπίδα; οὐχ οἴσει est pro imperativo; atque indic. fut. recte se habet, quod non tantum exspectare, sed jam certe scire potest Orestes fore ut θοίνη instituatur, si imperium impletum erit.

## §. 2.

### *De indicativo temporum praeteritorum.*

Vidimus indicativum futuri in enuntiato finali exstare non posse nisi post particulam ὅπως; indic. temporum praeteritorum omnes quidem sequitur particulas finales, maxime vero invenitur apud ἵνα. Tamen etiam hac in re Euripides suas habet proprietates, quod particula ὡς ter utitur c. indic. praeteriti, quamquam apud ceteros scriptores ὡς rarissime sic exstat (Kuehner II, p. 903). Exempla vero ita fere sunt distribuenda:

1. indicat. praeteriti significat *consilium non esse perfectum.* Ita igitur differt ab optativo: optat. indicat consilium aliquod in cogitatione nostra tantum inesse ratione nulla habita, utrum perfici possit necne; ind. praeter. exprimit *con-*

*silium, quod aut perfectum non est, aut perfici omnino non potest.* Addendum vero est etiam in enuntiato primario rem exprimi oportere, quae plane abhorret a veritate [1]). Quod etiam sic circumscribi potest: indicativo praeter. profertur consilium quod impletum esset, si actio enuntiati primarii esset perfecta. Atque cum infra causam commemoraturus sim, cur. indic. praeteriti hac in constructione ponatur, statim accuratius quomodo Euripides hac structura utatur, exponam:

a) in enuntiato primario exstat *praeteritum c. negatione, aut c. particula ἄν conjunctum*, ita quidem ut e nexu statim intellegatur rem proferri, quae plane abest a veritate; tum ne consilium quidem, quod habemus in ista actione, perfici posse apparet. Tantum vero abest, ut hoc indicativo praeteriti negetur consilii perfectio, ut potius e totius structurae atque nexus ratione evadat. Atque si causam quaerimus, cur indicativus potissimum usurpatus sit, maxime probanda videtur sententia Kuehneri, qui II, p. 218 explicat eam esse „*attractionem modorum.*“ — Apud Euripidem unum quod huc spectat, exstat exemplum: Iph. T. 357

*ἀλλ' οὔτε πνεῦμα . . ἦλθε, οὐ πορθμίς, ἥτις . . .*
*Ἑλένην ἀπήγαγ' ἐνθάδ', . . ἵν' ἀντετιμωρησάμην.*

cf. interprr. ad h. l.

b) Arcte his annectenda sunt ea enuntiata primaria, in quibus exstat *ἐχρῆν, ἔδει* = „debebat, debuerat fieri“. Haec vocabula jam per se dilucide demonstrant actionem minime veram esse, itaque ne fieri quidem potest, ut consilium, quod additur, perficiatur. cf. Hipp. 645—48:

*χρῆν δ' εἰς γυναῖκα πρόσπολον μὲν οὐ περᾶν,*
*ἄφθογγα δ' αὐταῖς συγκατοικίζειν δάκη*
*θηρῶν, ἵν' εἶχον μήτε προσφωνεῖν τινα* etc.

cf. quae fusius disputat Monkius ad h. l. — Hipp. 930. fr. 406. — Addam vero, si *ἐχρῆν* de rebus praesentibus quae re vera fiunt, usurpatur (= debet), tum perbene etiam conj. posse exstare, (cf. Andr. 424, p. 10).

c) Accedunt ea enuntiata primaria, in quibus expressum

1) cf. Kuehner II, p. 903. Baeuml. p. 98. Aken p. 114.

est *votnm, quod expleri nullo modo potest.* (εἰ γάρ, εἴθε c. ind. praet.) Hipp. 1079:

εἴθ' ἦν ἐμαυτὸν προσβλέπειν ἐναντίον
στάνθ', ὡς ἐδάκρυσ' οἷα πάσχομεν κακά,

quem locum recte explicaverunt Monk et Matthiae. Addendum est frgm. 442:

φεῦ φεῦ τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποις ἔχειν
φωνήν, ἵν' ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν,

nam sensus est: „utinam etiam res voce praeditae essent, ut etc."

d) Res fere eadem est, si in enuntiato prim. *interrogatio negativa* (c. οὐ) ita expressa est, ut sensum praebeat voti, quod expleri non posse apparet. cf. Hec. 818: τί δῆτα .. πειθὼ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν, μισθοὺς διδόντες μανθάνειν, ἵν' ἦν ποτε πείθειν ἅ τις βούλοιτο;
Sensus est: „utinam Suadae majorem daremus operam, ut" etc. Plerique codd. praebent ᾖ (conj.), tamen Kirchhoff ἦν, quod conjecerat Elmsleius, fuisse jam censet in *A* a m. pr. — Restat Phoen. 207:

Τύριον οἶδμα λιποῦσ' ἔβαν | ἀκροθίνια Λοξίᾳ
Φοινίσσας ἀπὸ νάσου | Φοίβῳ δούλα μελάθρων
ἵν' ὑπὸ δειράσι νιφοβόλοις | Παρνασοῦ κατενάσθην.

Explicari solet: „ut habitarem sub Parnasso." Sed non quadrat hic locus ad exempla, quae modo enumeravi. Quomodo enim ferri potest indicat., cum in en. primario actio narretur, quae re vera facta est (ἔβαν)? Jure meritoque exspectamus optativum in enuntiato finali. — Hermannus explicat: ἵνα κατενάσθη = „ubi habitat Apollo," quae verba non ita bene quadrare videntur in narrationem feminarum. Verbum κατενάσθην corruptum videtur; ἵνα sine dubio finali sensu accipiendum est; pro κατενάσθην exstabat optativus.

2. Scorsum spectandus est indic. praet., qui sequitur *verba timendi atque sollicitandi* cum μή conjuncta. Nam etiam haec enuntiata non interrogativa esse, — id quod longum per tempus credebatur — sed μή praebere significationem prohibitivam atque adnumerandum esse structuris

finalibus, Baeumlinius summa cum acumine exposuit atque persuasit. Causam vero quaerentes, cur indic. inveniretur hac in structura, homm. dd. diversissimas protulerunt sententias. Matthiaeus II, p. 1189: „der indicat. drückt ein erst jetzt sich bildendes ungünstiges urtheil über eine vergangene handlung mildernd aus“; non plane intelligo, quid sib velint haec verba. Kuehner II, p. 1041, 6 indicat. exstare putat, „wenn der gegenstand der besorgniss schlechtweg dargestellt werden soll, als einer der stattgefunden hat“. Qua circumscriptione, quamquam propius accedit ad rectam explicationem, tamen non intelligitur, cur indicat. potissimum exstet. Neque placet id quod Ameis, qui Baeumlinium sequi videtur, profert ad locum illum tritissimum od. 5, 300: es bezeichnet ein factum über das die erfahrung bereits entschieden hat. — Potius hae definitiones omnes ita corrigendae sunt, ut secundum Akenium (p. 117) hanc structuram circumscribendam esse dicamus sic fere: *φοβοῦμαι μὴ (φανερὸν γένηται ὅτι) ἔστιν* vel *ἦν* = ich fürchte, dass es sich zeigen wird, dass etc. — Evolvas quaeso locum quem modo commemoravi od. 5, 300: *δείδω μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν.* Si verteris: „timeo ne clarum fiat deam vere locutam esse“, omnia perspicua erunt. — Apud Euripidem notanda sunt duo exempla: Hel. 119 *σκοπεῖτε μὴ δόκησιν εἴχετε ἐκ θεῶν* = cavete ne cognoscatis, ne clarum fiat falsam speciem a diis vobis praebitam esse. Or. 209: *ὅρα . . μὴ κατθανών σε σύγγονος λέληθ' ὅδε.*

---

Liceat his addi locum qui saepe ab homm. dd. jam tractatus nondum recte videtur explicatus esse, Phoen. 92 sqq.:

*ἐπίσχες ὡς ἂν προυξερευνήσω στίβον,*
93 *μή τις πολιτῶν ἐν τρίβῳ φαντάζεται,*
*κἀμοὶ μὲν ἔλθῃ φαῦλος ὡς δούλῳ ψόγος* etc.

Mirandum est eandem particulam *μή* primum exstare c. indic., tum adsciscere conj. Quod ut explicaret Matthiaeus (II, p. 1187) docuit: *μή* in priore enuntiato esse particulam interrogativam, ante *ἔλθῃ* repetendum esse *μή* sensu finali. Sed dubito num tale quid possit tolerari. Neque placere

videtur quod post Hermannum omnes fere editores probaverunt: recte ex eodem μή et φαντάζεται et ἔλθῃ apta esse, quod alterum esset „visuri quid sit vel non sit", alterum „metuentis, ne fiat quod vitio verti possit". Certe μή perbene explicari posset particula interrogativa, si exstaret ἐπίσχες ὡς ἂν προυξ., μή τις . . φαντάζεται omisso vocabulo στίβον, ita ut enuntiatum quod inducitur vocabulo μή objectum esset verbi προυξερευνᾶν [1]); sed cum jam additum sit objectum στίβον, fieri non potest quin μή quod legitur habeat sensum finalem. Atque tum indic. praes. ferri omnino non potest. — Jam vero ne in conj. mutemus (φαντάζηται), obstat metrum; neque eicere possumus vs. 93, quod προὐξερευν. στίβον per se non plane intelligitur; *desideramus potius enuntiationem interrogativam, qua amplius describatur istud „speculari"*; eaque de causa scribendum esse puto: ἐπίσχες ὡς ἂν προυξ. στίβον, εἴ τις πολ. ἐν τρίβῳ φαντ., μὴ μοὶ μὲν etc. Aberraverunt sine dubio oculi librarii ab initio versus 93 ad vs. 94, ita ut μή ex vs. 94 jam poneret in versu qui antecedit.

---

Caput V.

## De infinitivo et participio finali.

Nunc igitur omnia tractavimus exempla finalia, quae apud Euripidem exstant, particulis ὡς, ὅπως, ἵνα, μή introducta. Restat, ut pauca addam de more illo scriptorum graecorum satis noto — qui quidem magis proprius est orat. pros. — consilium aliquod exprimendi per *participia* (praes.

---

1) Id statuendum est in Jon. 1525: ὅρα σύ, μῆτερ, μὴ σφαλεῖσ' ... τῷ θεῷ προστιθεῖς τὴν αἰτίαν. Hoc loco μή sine dubio particula interrogativa est, sive scripseris προστιθεῖς quod praebet cod. C (indicat. praes. est, de qua forma Matthiae I, 482; Kuehner I, 651) sive προστίθῃς quod mavult Elmsl. Nam si finalis esset particula, desideraremus conj.; conj. vero propter nexum sentent. ferri omnino non potest. Is enim significaret: hüte dich die schuld einem gotte beizumessen, spectat igitur futurum tempus; hoc loco autem sensus est: bedenke, ob du nicht einem gotte die schuld beigemessen hast vel beimissest. Enuntiatum igitur quod inducitur per μή objectum est verbi ὅρα.

vel futuri, quibus saepe etiam additur ὡς; Hipp. 74 partic. aor. κοσμήσας exstat sensu finali), aut *per simpl. infin.* — Ac primum quidem participium saepissime brevitatis causa pro enuntiato finali legitur apud verba movendi: ἥκειν, ἔρχεσθαι, εἶμι, βαίνειν, στείχειν, μολεῖν, οἴχεσθαι, ἕπεσθαι, (Hec. 526), ὁρμᾶν, (Med. 1179), πέμπειν, ἄγειν (Andr. 559), sim; liberius partic. etiam exstat apud alia verba, quae aliquo modo accedunt ad notionem movendi, ut Phoen. 622: ἀντιτάξομαι κτενῶν σε. — Constanti fere usu tale participium ab Euripide usurpatur, si *nuntii scenam ingrediuntur*, in formulis: ἥκω ἀγγελῶν, σημανῶν, sim. cf. Tr. 238; Hec. 217; Iph. T. 237. Etiam in *stichomythia*, ubi unum alterum verbum excipit magna cum vi atque gravitate, perbene se habet haec structura. cf. Phoen. 604. 607.

Quod vero attinet ad *infin. finalem* Euripides saepissime liberrimas admisit structuras. Non adnumerabo infinitivos, qui ubique fere leguntur, post δίδωμι, ἱκετεύω, φοβοῦμαι (Hec. 768. Bacch. 775), vel constructiones quales sunt: δεινὸς ἔφυν λέγειν (Med. 522), καιρὸς ἀκοῦσαι (Rh. 10), nam usu factum est, ut hae structurae, quamquam proprie finales nominandae sunt, finales omnino non jam haberentur. Eos tantum commemorabo infinitivos, qui re vera pro enuntiato finali exstant, id quod saepius fit post verba movendi. cf. Iph. T. 977: Φοῖβος μ' ἔπεμψε δεῦρο . . λαβεῖν ἄγαλμα. Tr. 181. 1208. Phoen. 1477: νεκροὺς φέρουσιν οἰκτίσαι φίλοις. Hec. 43: ἡ πεπρωμένη δ' ἄγει θανεῖν ἀδελφήν. Suppl. 857. Andr. 1159. (cf. simile quid in Francogallorum lingua: il venait jouer = er kam, um zu spielen; er wollte spielen; in poëmate illo antiquo saxonico, quod nominatur „Heliand“ vs. 3493: thea an thena wîn-gardon wirkean quâmun = welche in den weingarten kamen, um zu arbeiten; vs. 2648 sq., saepissime alias; nos etiam nunc: geh sitzen!). — Inveniuntur tales infin. etiam post verba incitandi, commovendi (Hipp. 322. Andr. 429. Or. 614), prohibendi (Hipp. 658), curandi (Hec. 569. Andr. 623), vel post adjectiva δίκαιος, ἄξιός εἰμι; χειρία εἰμὶ ἀπαρτῆσαι δέρην (Andr. 412). — Nonnunquam Euripides infinitivo activi utitur sensu finali, ubi potius exspectamus genus passivum. cf. Herc. f. 453: ἕτοιμ'

*ἄγειν τὰ θύματ' εἰς Ἅιδου τάδε* = parata sunt victima, quae *quis agat* in orcum i. e. quae agantur. Heracl. 315. Andr. 411 sq. Iph. Aul. 318. — Apponam etiam duos locos ex Oreste sumptos, quibus quanta libertate Euripides hoc infinitivo usus sit, appareat, vs. 1588: *ὁ πατρὸς ἀμύντωρ* (sc. *εἰμί*), *ὅν σὺ προὔδωκας θανεῖν*, et vs. 1510: *οὔτι που κραυγὴν ἔθηκας Μενέλεῳ βοηδρομεῖν;* = ut Menelaus auxilium ferret. cf. etiam Alc. 657: *οὐκ ἄλλοις δόμον λείψειν ἔμελλες ὀρφανὸν διαρπάσαι.* Rh. 265; *τοιούτων .. ἄγγελος εἴην τὸ λοιπὸν οἷά σοι φέρω μαθεῖν* = earum rerum nuntius essem, quas nunc tibi affero *ad cognoscendum.*

Itaque si plane qualem usum in enuntiatis finalibus tractandis sibi constituerit Euripides perspicere volumus necessarium putavi etiam adnumerari omnia participia atque infinitivos, quae pro constructione vere finali usurpata sunt. (Non adnumeravi infin. post verba *δίδωμι*, *ἱκετεύω* et *φοβοῦμαι*.) Id si fecerimus, quam clarissime elucebit, id quod supra jam monui, exemplorum copiam eo majorem fieri, quo recentiore tempore scriptae sunt fabulae. Conferas igitur hunc quem addidi conspectum.

## *Conspectus omnium exemplorum finalium.*

| | numerus versuum totius fabulae. | exempla c. ὡς, ὅπως, ἵνα, μή. | participia finalia futuri: sine ὡς | participia finalia futuri: cum ὡς | particip. praesent. final. | infinitivi finales. | summa exemplorum. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Alcest. | 1163 vss. | 8. | | vs. 364. 537. | | vs. 11. 346. 657. | 13. |
| Medea. | 1419. | 16. | vs. 1179. 1303. 1385. | | | 442. 718. | 21. |
| Hippol. | 1466. | 19. | [vs. 74 part. aor.] | vs. 992. | | 322. 658. 1208. | 24. |
| Heracl. | 1055. | 9. | 136. 817. 934. | | | 315. 776. 963. | 15. |
| Hecuba. | 1295. | 30. | 217. 512. 526. 731. 780. — 634. 1202. | | | 43. 569. 1077. 1128. | 41. |
| Androm. | 1288. | 27. | 559. 966. | | | 411. 429. 623. 686. 1159. | 34. |
| Supplic. | 1234. | 20. | 542. 638. 1037. | 724. | 37. 120. 358. 1003. | 285. 309. 900. | 31. |
| Herc. f. | 1428. | 29. | 25. 335. 602. | 79. 995. | 1202 (c. ὡς.) | 197. 317. 320. 453. 750. 857. | 41. |
| Electra. | 1359. | 26. | 89. 710. 782. 856. 1025. 1348. | | 98. 228. 494. 500. | 221. 490. 540. 611. 698. 837. 845. 1265. | 44. |
| Troades. | 1332. | 28. | 177. 238. 536. 747. 806. 869 sq. 905. 1153. | 457. | | 181. 1140. 1208. | 40. |
| Iph. Taur. | 1499. | 31. | 207. 255. 412. 938. 1081. 1228. 1410. 1440. | | 682. (c. ὡς.) | 761. 977. | 42. |
| Jon. | 1622. | 29. | 805 sq. | | 18. 1140. [c. ὡς.] | 777. 1253. 1574. | 35. |
| Helena. | 1692. | 36. | 892. 1432. 1617. | 30. 1280. | | 964. | 42. |
| Phoeniss. | 1766. | 25. | 153. 570. 604. 607. 706. 770. 789. 1014. 1059. — 622. | 1122. 1155. | 714. (c. ὡς.) | 91. 223. 514. 730. 1477. | 43. |
| Orestes. | 1693. | 34. | 611. 848. | 1543. | | 614. 1356. 1510. 1588. | 41. |
| Iph. Aul. | 1629. | 33. | 457. 748. 854. 885. 890. 1070. 1459. | 100. 164. 905. 1428. | 890. | 42. 318. 369. 661. 678. 910. | 51. |
| Bacchae. | 1392. | 17. | 658. 715. 859. | 611. 1001 | | 472. 474. | 24. |
| Cyclops. | 709. | 18. | | | | 156. 290. 358. 404. | 22. |
| (Rhesus. | 996. | 8. | 268. 275. 292. 391. 578. 632. 662. 664. | 99. | | 25. 26. 78. 265, 602. 918. 956. 957. | 25.) |

## Vita.

Natus sum Ludovicus Tachau a. d. V. Id. Febr. a. h. s. LVIII in oppido haud longe a Cella sito, cui nomen est Uelzen, patre Jacobo, matre Dina e gente Frankenstein, quibus adhuc vivis valde gaudeo. Fidei addictus sum veteri. Primis literarum elementis a patre imbutus septem annos natus, cum pater Cellam demigravisset, traditus sum scholae alicui privatae Cellensi, cui praeest Dr. Sophar. Cujus praeceptoris dilectissimi disciplina per septem fere annos usus sum, tantamque in me contulit diligentiam, comitatem, benevolentiam, ut totum me studio artium liberalium dare constituerem. Itaque cum casu factum esset, ut pater, qui munere publico fungitur, Hannoveram demigrare cogeretur, a. h. s. LXXII gymnasium adii Hannoveranum, cui nomen est „Lyceum II". Receptus sum in superiorem ordinis tertii classem. Post quinque annos testimonium maturitatis adeptus a. h. s. LXXVII hanc almam petivi Georgiam Augustam, ut studiis philologicis atque theotiscis operam navarem. — Scholis vero interfui vv. ill.: Sauppii, de Leutschii, Dilthei, Volquardseni, Wieseleri, G. Muelleri, Lotzii, Baumanni, Fickii. — Per sex semestria particeps fui exercitationum seminarii regii philologorum, cujus per quatuor semestria fui sodalis ordinarius; denique per hoc ipsum semestre aestivum Sauppius praeceptor ill. dignum me habebat, qui sodalibus seminarii regii paedagogici interessem. Praeterea G. Muelleri comitate factum est, ut in societatem cui praeest theotiscam reciperer. — Omnibus qui de me meriti sunt viris et Hannoveranis et Gottingensibus gratias ago quam maximas.

---